





PRECES

IN USUM CATHOLICORUM

QUI

LITTERARUM STUDIIS VEL IMBUUNTUR

VEL JAM SUNT IMBUTI

EDIDIT

G. M. Pachtler,

SACERDOS DIOECESIS ROTHENBURGENSIS.



PRECES

IN USUM CATHOLICORUM

QUI

LITTERARUM STUDIIS VEL IMBUUNTUR

VEL JAM SUNT IMBUTI

EDIDIT

G. M. Pachtler,
SACERDOS DIOECESIS ROTHENBURGENSIS.

APPROBAVERUNT REVERENDISSIMI EPISCOPI ROTHENBURGENSIS ET MOGUNTINUS.

MOGUNTIAE,
SUMPTIBUS ET TYPIS FLORIANI KUPFERBERG.
1853.

Hic libellus: *Preces in usum Catholicorum* etc. hisce approbatur et commendatur.

Rothenburgi, 13. Septembris 1852.



✝ **Josephus,**
Episcopus.

PARS PRIMA.



Preces matutinae.

Ubi experrectus eris, dicito.

Jesus Christus crucifixus sit in omnibus meis cogi ✝ tationibus, ver ✝ bis et ope ✝ ribus.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis, miserere nostri.

Per signum ✝ crucis ab inimicis nostris libera nos, Deus noster.

Deinde surgens:

In nomine Dei patris, qui me creavit, et filii, qui me pretio sanguinis sui servavit, et spiritus sancti, qui me sanctum reddidit, surgo: ipsi honor et gloria in aeternum. Amen.

Indutus et sacra aqua aspersus

1. gratias age.

Adoro te, o sacrosancta Trinitas! Te praedico, te laudo; tibi benedico et gratias ago pro universis naturae, gratiae, gloriae donis in me et in ceteros homines et in angelos adhuc collatis. Praesertim

immortales tibi ago gratias, benigne Deus, quod me, tot tantisque undique corporis animique periculis circumdatum, salvum et incolumem ad hunc usque diem servasti et, feliciter hac nocte transacta, ad novam lucem excitasti. Nam quot, eheu! e suo cubili ad tuum tribunal rapti in aeternum perierunt! Vivens, Domine, vivens tuam bonitatem laudibus effero.

2. Te totum Deo offer.

Primum desiderium, primum animi affectum tibi. o pater aeterne, offero; tibi omnes animi motus et corporis sensus, tibi me totum et omnia mea dedico. Suscipe, mi pater, hanc primam novi diei caritatem atque cum meritis filii tui unigenae clementer conjunge. Quid enim mihi est coelum sine te? Quid vero volo in terra, nisi te, fons et requies amoris?

Firmiter igitur statuo, Jesu nostri amantissime, te juvante, praecepta tua religiose servare, probi christiani officium explere, consueta pietatis munia obire, universa denique in nomine tuo facere et perpeti. Quare quidquid boni faciam, quidquid mali cum patientia sustinebo, quidquid cogitabo, loquar, agam: id tuo fiat honori. Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.

3. Pete divinum auxilium.

Subveni, succurre, sancte spiritus, imbecillitati meae tua divina gratia, qua adjutus fortis existam contra hostes salutis meae. Num mea sponte peccatum in me admittam? Meane voluntate Deum offendam? Praesertim istud cui fragilitas mea maxime

obnoxia est peccatum N. N. volens vidensque committam? Malo mori, Domine, malo mori. quam peccare. Quo in discrimine me constitutum adjuva, clementissime Deus. fons luminis, origo gratiarum, qui ipse nos a te adjutos promisisti super aspides et basiliscos esse incessuros et conculcaturos capita leonum et draconum.

4. Sanctos invoca.

Adeste mihi et vos, coelestis patriae cives! Praecipue tu, regina sanctorum, mitis mater Maria! Tuo materno patrocinio me trado; adopta me filium, deduc me salvum per media mundi pericula ad regnum gloriae. Ora pro nobis, dispensatrix gratiae divinae, refugium peccatorum, dulcedo piorum animorum!

Per castissimam conceptionem tuam ac purissimam virginitatem munda animum et corpus meum, virgo mater ante partum, in partu et post partum.

Tu quoque, sancte Josephe, caste castae virginis sponse, vos sancti patroni mei N. N. cum ceteris sanctis me juvate inopem, illuminate coecum, ducite claudum. Tu vero prae omnibus, mi Deus, dux meus esto; omnem in te spem posui, non confundar in aeternum.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum fraterna caritate hodie illumina, custodi, rege, guberna. Amen.

5. Commenda Deo vivos et mortuos.

Tibi, mi Deus, qui nos per sanctum Spiritum tuum rafterna caritate imbuisti, commendo tum animos

tum corpora propinquorum et benefactorum, amicorum et inimicorum, eorum qui mihi praesunt, et quibus ego praesum, in primis N. N. Tribuas eis, quaeso, viventibus donum poenitentiae et perseverantiae, exeuntibus de vita suavissimam consolationem, mortuis salutem aeternam.

Omnibus in Christo defunctis dona requiem sempiternam, remissionem suppliciorum, locum pacis, beatissimum tuae gloriae adspectum. Amen.

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria, gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui *Jesus*. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, dominum nostrum; qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, re-

missionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam. Amen.

Aliae preces matutinae,
praesertim communiter recitandae.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Jam lucis orto sidere,
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia,
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio

Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

(Incogniti auctoris.)

PSALMUS 66.

Deus misereatur nostri et benedicat nobis *; illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam *, in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus *, confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exultent gentes *; quoniam judicas populos in aequitate et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes *: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus *; et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria patri et filio * et spiritui sancto;

Sicut erat in principio et nunc et semper * et in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Domine Deus potentissime, qui ad principium hujus diei nos pervenire sivisti: tua nos hodie serva virtute, ut per hanc diem ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera: per dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

℣. Ego ad te, domine, clamavi,

℟. Et mane oratio mea praeveniet te.
℣. Repleatur os meum laude,
℟. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.
℣. Cor mundum crea in me, Deus.
℟. Et mentem rectam innova in animo meo.
℣. Ne projicias me a facie tua.
℟. Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
℣. Velis, domine, hoc die
℟. Sine peccato nos custodire.
℣. Miserere nostri, domine,
℟. Miserere nostri.

OREMUS.

Dirigere et ad sanctitatem adducere, regere et gubernare velis, domine Deus, rex coeli et terrae, hodie mentes et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege tua et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in aeternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, servator mundi, qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut et animi nostri mandatis tuis dediti et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla: per Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.

Ure igne sancti spiritus renes nostros et cor nostrum, domine, ut tibi casto corpore serviamus et

mundo corde placeamus, per Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.

Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. (I Tim. 1, 17.)

℟. Deo gratias.

Sancta Maria et omnes sancti intercedant pro nobis ad dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari et servari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Dominus nobis bene ✝ dicat et ab omni nos malo defendat et ad vitam perducat aeternam; et defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

℣. Laudetur Jesus Christus.

℟. In saecula. Amen.

ALIAE PRECES MATUTINAE.

Adoro te, o sanctissima trinitas, pater, fili et spiritus sancte, tres personae, une et sole Deus; et opitulante mihi gratia tua, quam supplex imploro, me esse nihilum confitens, tuae divinae majestati me subjicio.

Quae nobis libris sacris revelasti et per ecclesiam tuam credenda proponis, ea firmissime credo, vel ad profusionem sanguinis mei paratus.

Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni sive in animo sive in corpore,

tam in hac, quam in altera vita, id totum desidero, spero et volo de tua manu consequi, mi Deus, vita et unica spes mea.

Trado tibi hodie, et in perpetuum, corpus et animum meum omnesque vires meas: memoriam, intellectum, voluntatem et omnes sensus meos.

Profiteor, me non consentire, neque, quantum in me est, unquam consensurum esse cum aliqua re, quae fiat vel cum minima offensione tuae divinae majestatis.

Firmissime propono, in tuam servitutem et gloriam omne impendere, quidquid sum, facultates ac vires meas.

Paratus sum ad suscipiendas quaslibet adversas res tua paterna manu mihi impositas.

Vellem me totum ad id vovere, ut ab omnibus tibi serviatur, ut ab omnibus praediceris et ut creator ac Deus noster diligaris.

Gaudeo summa tua eaque aeterna felicitate et exulto de tua tam magna in coelo et in terra gloria.

Gratias tibi ago infinitas pro innumerabilibus beneficiis, quae in me et in omnes homines et in beatam virginem nec non in ss. humanitatem Jesu Christi contulisti et quotidie confers.

Amo tuam infinitam bonitatem propter se ipsam ex intimo animo; et, si possem, te amare vellem eo amore, quo angeli et homines justi, beata virgo et filius tuus caro factus te amant, quorum cum amore istud paululum meae caritatis conjungo.

Offero divinae majestati tuae una cum meritis vitae et mortis Jesu Christi, beatae virginis et omnium sanctorum, nunc et semper omnia opera mea,

pretiosissimo Jesu, servatoris mei, sanguine lota et imbuta.

Statuo omnium indulgentiarum precibus et actionibus hujus diei particeps fieri, illasque pro liberatione animarum in purgatorio versantium tibi sacrifico.

Volo quoque quidquid possum in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum offerre.

Cum sis infinita charitate et servitute dignus, mi Deus, ex toto animo omnia mea doleo peccata eaque omnibus aliis rebus magis detestor, quia tibi Deo meo, quem supra omnia amo, summopere displicui. Quare humillime veniam peto firmissimumque consilium capio nunquam tuam bonitatem amplius offendendi.

Tuis vulneribus me committo, o Jesu! Ibi me absconde et defende hodie et semper, donec mihi largiaris gratiam videndi te et amandi in aeternum.

Jesu, Maria et *Joseph!* Vobis dono meum animum nunc et in perpetuum. Amen.

PROPOSITUM MATUTINUM!
quam vocant bonam intentionem.

Propono mihi hodie et quotidie, domine Deus, omnes secretas et externas actiones soli tuae laudi et universitatis saluti, quali tu ipse vis voluntate et ratione, propter temet ipsum sacrificare. Qua de caussa me socio cum illa caritate, qua commotus filius tuus de coelo descendit et omne opus humanae liberationis perfecit. Unde omnino omni meo

merito, meo praemio, meae laudi, quae illis operibus adipisci possim, renuntio, ut tibi soli, mi Deus, omnia pure et integre offeram. Amen.

SALUTATIO SANCTI, CUJUS FESTUM AGITUR.

Veneror et saluto te per cor Jesu Christi, maximo amore dignum, o praeclare coeli civis, beate N., (beata N.) et ex animo tibi gratulor honorem et gloriam, quibus hodie a Deo affectus es. Tu vero Deum pro me roges, ut remittat mihi peccata mea, tribuat humilitatem caeterasque virtutes, ad finem vitae usque gratia sua subveniat. Tu denique et ipse, quaeso, morienti mihi precibus succurras. Amen.

Actus trium divinarum virtutum
saltem singulis mensibus excitetur.

ACTUS FIDEI.

Credo, domine Deus potentissime, te esse natura unum, personis triplicem, patrem et filium et spiritum sanctum; credo te creatorem omnium rerum terrestrium et coelestium, bonis aliquando auctorem praemiorum, malis poenarum. Credo Jesum Christum, filium Dei unicum, assumta humana natura, pro nostra salute passum ac mortuum, eundemque in ss. sacramento vere praesentem. Credo spiritum sanctum in sacro baptismo mihi communicatum, moderatorem sacrae ecclesiae catholicae. Credo divinae gratiae ad salutem necessitatem atque animo-

rum immortalitatem. Quidcunque denique ab ecclesia credere jubemur, sive grave sive exiguum, id tam viva tamque firma fide profiteor, ut pro ea, si tu volueris meque adjuveris, etiam vitam dare paratus sim. Auge, domine, fidem meam.

ACTUS SPEI.

Infinita benignitate et misericordia tua fretus, spero remissionem peccatorum, divinam ad bene agendum gratiam et vitam aeternam: quia tu, Deus, es ea qua dare possis potentia, qua dare velis misericordia, qua promissa effecturus sic fidelitate. Tribue, Deus O. M., ne unquam aut falso vana spe efferar, aut illa sancta virtute destituar.

ACTUS CARITATIS.

Amo te, mi Deus, toto animo, tota mente, omnibus viribus meis. Ardentissima caritate tuam infinitam pulcritudinem, qua nihil est amore dignius, amplector, et, si quid rerum terrestrium coelestiumve diligam, id in te solum translatum velim. Quidquid boni tota vita mea egero, quidquid rerum adversarum sustinuero, id in aeternum tuo honori esto.

Quo amore inflammatus omnia peccata, quibus unquam te finem omnium bonorum offendi, maximopere doleo. Detestor universam iniquitatem meam. Utinam te nunquam offendissem, neve amplius offendam! Nunc quidem firmiter statuo, gratiae tuae ope non solum peccata omnia vitare, sed vel occasiones peccandi religiose fugere. Obsecro te per filii tui mortem sanctorumque merita, ut mihi auxilium ad id efficiendum praestes, quo confirmatus

fortis existam in bello et usque ad finem vitae in bona voluntate perseverem. Amen.

---

† **Oratio s. Thomae Aquinatis.**

Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere.

Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum: et quod a me requiris ut faciam tribue ut sciam, possim et velim, et da exsequi, ut oportet, et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa, ut in illis non extollar et in istis non deprimar.

In prosperis gratias tibi referam et in adversis servem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in caritate da facere, et quod ad cultum tuum non pertinet quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara mihi sint omnia tua, et tu, Deus meus, plus, quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te.

Da mihi, domine, frequenter et ferventer cor meum ad te dirigere et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus meus, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione, castum sine corruptione, humilem sine fictione et hilarem sine dissolutione: maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate: timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione: proximum corripere sine indignatione ipsumque aedificare verbo et exemplo sine simulatione.

Da mihi, domine Deus, cor pervigil, quod nulla a te abducat vana cogitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa delectatio.

Largire mihi intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te diligenter exspectantem et fiduciam te finaliter amplectentem.

Da tuis poenis configi ad poenitentiam, tuis beneficiis in vita uti per gratiam et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Amen.

---

† Oratio Clementis Papae XI.

Credo, domine, sed credam firmius; spero, domine, sed sperem securius; amo, domine, sed amem ardentius; doleo, domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium; desidero, ut finem ultimum; laudo ut benefactorem perpetuum; invoco te ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare; potentia protege.

Offero tibi, Deus meus, cogitanda, ut sint ad te, dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo, quod vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro, domine, intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in propositis firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Assiduo invigilem naturae domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Discam a te, quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Amen.

† PRECES ANTE SCHOLAM VEL ANTE ALIUD OPUS DICENDAE.

Veni, sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere; per Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.

---

† ANGELUS DOMINI.

Angelus domini nunciavit Mariae; quae concepit de spiritu sancto.

Ave Maria, gratia plena etc.

Ecce ancilla domini! Fiat mihi secundum verbum tuum.

Ave Maria etc.

Et verbum caro factum est et habitavit in nobis.

Ave Maria etc.

Vespere additur: Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Pater noster. Ave Maria.

N. B. *Ejus loco tempore paschali, i. e. a sabbato sancto usque ad Vesperas ante festum ss. Trinitatis, dicitur:*

Regina coeli laetare, alleluja,
Quia quem meruisti portare, allel.
Resurrexit, sicut dixit; allel.
Ora pro nobis Deum, allel.
℣. Gaude et laetare, virgo Maria, allel.
℟. Quia surrexit dominus vere, allel.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem filii tui domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es, praesta quaesumus, ut per ejus genetricem virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae; per eundem Christum dom. n. Amen.

Vespere additur idem quod supra.

ANTE COENAM.

Oculi omnium a te, domine, cibum exspectant, et tu das nobis tempore opportuno. Aperis tu manum tuam et imples omne animal ubertate. Gloria patri etc.

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster etc.

Oremus.

Benedic, domine, nobis et his tuis donis, quae ex tua largitate sumus sumturi; per Christum dom. n. Amen.

POST COENAM.

Agimus tibi gratias, potentissime Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in saecula. Amen.

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster.

Oremus.

Retribuere velis, domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Benedicamus domino. Deo gratias.

DIE JOVIS VESPERI
quando domini in oliveto angores recoluntur.

Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit eum et dedit ei nomen, quod est super omne nomen.

Oremus.

Respice, quaesumus, domine, super hanc familiam tuam, pro qua dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et mortis subire tormentum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

Amen. Pater noster. Ave Maria.

DIE VENERIS
ad recolendam domini mortem.

Tenebrae factae sunt, quum crucifixissent Jesum Judaei. Et circiter hora nona clamavit Jesus voce

magna: «o mi Deus, o mi Deus! Cur me dereliquisti.» et inclinato capite emisit spiritum. Tum unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et velum templi scissum est a summa parte deorsum et omnis terra tremuit.

℣. Suo ipsius filio non pepercit Deus,

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit eum.

Oremus.

Respice, quaesumus *etc. ut supra.*

PRECES IN TENTATIONE ET ALIAS FUNDENDAE.

Detestor et abominor omnia et singula peccata, et a me et ab aliis inde ex initio mundi usque ad horam hanc commissa vel quae in futurum committentur; atque si possem, ea impedirem ope gratiae Dei, quam supplex invoco.

Laudo et approbo omnia bona opera, tum quae facta sunt a principio usque in hoc tempus, tum quae abhinc usque ad finem mundi fient. Quae si possem multiplicarem adjutrice divina quam supplex imploro gratia.

Cum omnibus omnium sanctorum bonis voluntatibus volo facere, dicere et cogitare quamque rem ad majorem Dei gloriam.

Ex animo ignosco omnibus qui me oderunt inimicis, omnibus mihi obtrectantibus, omnibus quovis modo nocentibus vel contra me malevolis.

Utinam moriendo pro singulis possem omnes homines servare! Equidem libenter id facerem adjutus divina illa sine qua nihil possum gratia.

FOEDUS CUM DEO
saltem singulis hebdomadibus faciendum.

Domine Deus, mi Creator, scis quidem desiderium et gemitum animi mei; sed, quoniam praesentis vitae necessitatibus nimis impedimur, quominus mentem et voluntatem ad tui solius gloriam intendamus, tale quod tota hac hebdomade firmum maneat tecum ineo pactum:

1. Quoties hac hebdomade coelum suspexero, toties gratulabor tibi infinitas perfectiones tuas, quod sis, qui es, Deus summe potens, sapiens, benignus et justus.

2. Quotiescunque oculos clausero vel aperuero, toties rata et grata habebo quaelibet opera et unigena filius tuus et omnes sancti et justi in tuam laudem tum fecerunt, tum post hoc tempus facient: eorumque me participem fieri velim.

3. Quoties spiritum duxero, toties offero tibi vitam, perpessiones, sanguinem domini nostri Jesu Christi una cum omnibus omnium sanctorum bonis operibus, ut sint tibi aeternae laudi, universitati saluti, toti mundo peccatorum satisfactioni.

4. Quoties suspiravero, toties detestor et abominor omnia et singula peccata tam mea quam omnium hominum, ab initio mundi contra honorem nominis tui perpetrata, quae utinam meo sanguine vel paululum quoddam compensari possent.

5. Quoties denique manum pedemve movero, toties amore tui actus me projicio in tuam voluntatem sanctissimam, rogans, ut mea fata terrestria et futura ad tuum arbitrium disponas.

Et ea quinque pacta ne unquam irrita reddi possint, tuis sanctis vulueribus, tanquam quinque sigillis, signo et rata validaque esse volo, vel quum in singulis quibusque actiones ea minime meminero. Amen.

Preces vespertinae.

1. *Gratias age.*

Ave, salus et lumen animi mei, misericors Deus! Quomodo unquam satis tibi gratiarum referam, quippe qui me ex nihilo creaveris, adhuc viventem conservaveris, statim natum ad aeternam vocaveris vitam, in vera sanctaque ecclesia tua constitueris, tam innumerabilia mihi perdilissimo peccatori beneficia praestiteris. Quî tandem te remunerer pro iis bonis, quae hodie denuo mihi exhibuisti! Venite, omnes angeli et sancti, meo nomine gratias acturi immensae divini numinis benivolentiae; atque, ut agnum in throno sedentem una vobiscum sine intermissione praedicem, me quoque in circulos vestros suscipite. Gloria, laus, honor, gratiarum actio, infinita adoratio tibi, sanctissima trinitas, in saecula! Amen.

2. *Veniam pete.*

Sed eheu me miserum, qui tam foede bonitate tua abusus sim, mea tam indignus vixerim vocatione! Jllustra, sancte spiritus, tuo lumine memoriam meam, ut peccata, quibus hodie Deum offenderim, cognoscam, cognita lacrimer et detester.

Perscrutare nunc conscientiam omnesque hujus diei in memoriam revoca cogitationes, verba et opera.

Domine Jesu Christe, vere Deus et homo, mi creator et liberator! Ex intimo animo me poenitet, quod tibi, Deo meo, quem ante omnia amare debebam, hodie tam dissolute servivi tuamque caritatem tot

et tantis negligentiis et peccatis offendi. Quare cum humilitate et contritione animi percutio pectus meum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori! Obtege, dele, exstingue, Jesu Christe, omnia peccata mea immensa meritorum tuorum multitudine. Saltem unam guttam pretiosissimi sanguinis tui in cruce effusi mihi impertias, ut munder ab iniquitate mea et contra omnia pericula peccandi confirmer. Aeterna sapientia, Christe Jesu! Firmissime mihi propono non amplius peccare.

Pater aeterne! Per vitam et mortem filii tui, per omnem bonitatem tuam auxilium te rogo, ut in bono perseverans in tua gratia moriar. Amen.

3. *Commenda te Deo.*

Tuae divinae providentiae animum, corpus, quidcunque possideo commendo. Tibi item demando pro quibuscunque mihi sive ex officio sive ex caritate christiana deprecandum est, praesertim N. N. A te paterne custoditi cum tranquillitate dormiamus. Tui simus vigilantes et dormientes, vivi ac mortui.

Tibi o cor Jesu dulcissimum, hac nocte animum et corpus trado, ut in te suaviter et caste requiescant. Quia vero ego, dum dormio, Deum laudare nequeo, tu, quaeso, illud pro me suppleas, ita ut quoties spiritum duxero, toties tanquam ardentem amoris scintillam ss. trinitati offeras. Omnis enim spiritus laudet dominum.

4. *Commenda te beatae Mariae et sanctis.*

Tuae maternae fidelitati ac singulari custodiae, beatissima virgo Maria, me hac nocte trado et sup-

plico. ut me ab insidiis inimici tuearis. — Carissime angele custos, vos ss. patroni mei N. N., hac nocte me defendite et incolumem servate. Pro me dormiente perpetuo Deum meum laudate mihique vestram benedictionem, quam humiliter peto, impertite. Amen.

Miserere, domine, miserere animarum in purgatorio detentarum, quae quamvis tui amore inflammentur tua tamen luce nondum fruuntur, imprimis N. N. Requiem aeternam dona eis, domine, et lux perpetua luceat eis. Amen.

Deinde aqua sacra aspersus, nomina Jesu Mariae et Josephi pronuncians, cubitum ibis. Donec somnum capias, preces, quas memoria tenes, «Pater noster, Credo» etc. *recitabis.*

ALIAE PRECES VESPERTINAE,
praesertim communiter recitandae.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Jam sol recessit igneus;
Tu lux, perennis unitas,
Nostris, beata trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere,
Digneris, ut te supplices
Laudemus inter coelites.

Patri simulque filio
Tibique sancte spiritus,

Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria. Amen.

Ambrosian.

† PSALMUS XC.

Qui habitat in adjutorio altissimi *, in protectione Dei coeli commorabitur.

Dicet domino: susceptor meus es tu et refugium meum *: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus *: non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris *; ab incursu et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille et decem milia a dexteris tuis *: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, domine, spes mea *: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum *: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandavit de te *, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te *, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum *: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum *, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo, eum * et ostendam illi salutare meum.

Gloria patri etc.

OREMUS.

Visita, quaesumus, domine, habitationem istam et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper; per dom. n. J. Chr. f. t. etc.

℟. Amen.

Interposita deinde ad percontationem conscientiae parva mora, sic pergatur:

℣. Ne consulas in nos, domine, secundum peccata nostra.

℟. Neve nos punias secundum iniquitatem nostram.

OREMUS.

Deus, cujus proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae lenitatis clementer absolvat; per Christum dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Cum pace dormiam et requiescam,

℟. Quoniam tu, domine, in spe singulari constituisti me.

℣. Manibus tuis commendo animum meum;
℟. Liberasti me, domine. Deus veritatis.
℣. Per noctes extollamus manus nostras ad sancta,
℟. Et benedicamus domino.
℣. Benedicat nobis ex Sion
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meas ad te veniat.

OREMUS.

Serva nos, quaesumus, domine. vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christe et requiescamus cum pace.

℟. Amen.

℣. Beata Maria, integra virgo, excelsa regina mundi, intercede pro nobis ad dominum.

℟. Amen.

℣. Sancti Dei omnes, intercedite pro nostra omniumque salute.

℟. Amen.

℣. Renedicat nobis et custodiat nos potentissimus et misericors Deus † pater et filius et spiritus sanctus.

℟. Amen.

℣. Defunctorùm animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pat. nost. Ave M. Credo.

BREVIORES PRECES VESPERTINAE.

Gratias tibi ago, clementissime Deus, quod me qua es misericordia voluisti hoc die custodire. Con-

cede mihi, quaeso, ut hanc noctem sine ullo peccato vel impedimento satanae cum dulci et pudica requiete transigam atque prima luce surgens castas tibi, Deo meo, laudes referre valeam. Amen.

Cum nomine *Jesu* cubitum eo; ipse me custodiat, me regat, mihi benedicat in aeternum.

Domine Jesu Christe! Ego omnes hujus noctis actiones et perturbationes et angustias et dolores et regis tartarei tentationes tuae laudi aeternae offero.

Fac, Jesu dulcissime, ad pectus tuum requiescam, ubi suavissimum ex tuo corde ducam spiritum, quo animus meus aeternae caritatis tibi societur vinculis. Tu mecum maneas hac nocte, tu dormientem me foveas, tu misericorditer ad me respicias, tu mihi somnia sancta disponas, ut mens semper in te vigilet et acquiescat. — Qui me et creasti et liberasti et sanctum reddidisti, ss. trinitas, finis bonorum meorum, miserere mei.

Me esse a te morte acerbissima et contumeliosissimis perpessionibus servatum atque infinita misericordia tua ad regnum coeleste vocatum, noli oblivisci, domine Jesu Christè! Tu plenam mei habeto potestatem, tu me totum possideto, in tuo denique sacrato latere me abscondo. Nullius esse nisi tui volo. Amen.

Pax domini nostri Jesu Christi, vis sacrosanctae mortis ejus, signum sanctae crucis, integritas quoque sanctae Mariae virginis, excubiae sanctorum angelorum, praecipue custodis mei, custodiae omnium a Deo electorum sint valli instar inter me et hostes meos tum corporeos tum corpore carentes, nunc et

hora mortis meae; in nomine † patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Deinde ad eam ecclesiae partem, ubi ss. sacramentum servatur, conversus dicas:

Domine Jesu Christe, in ss. sacramento diu noctuque praesens, qui more boni pastoris vigilias inter oves tuas somno sepultas agis, noli oculos a me dormiente avertere! Esto mihi purissimae luci custodiaeque firmissimae in mediis tenebris, qui es amor, gaudium, deliciae, requies animi mei. Amen.

Quis vituperet veteres auctores, qui suadeant cubitum euntibus, ut quatuor sanctae crucis litteras: J. N. R. J. pollice in fronte inscribant dicentes:

Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum defendat nos a necopinata mala morte. Amen.

Quum somnum capere nequis, vanis noli indulgere cogitationibus; recita potius rosarium, quod prope lectum tuum semper paratum sit, sive aliis utere precibus, ut exemplo utar Ps. 129. pro defunctis. Sin autem nocturnis tentationibus terroribusve solliciteris, valde commendandus est:

† PS. LIII.

Deus, in nomine tuo salvum me fac *, et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam *; auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam *, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me *, et dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi * et confitebor nomini tuo, domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me *, et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria patri etc.



PARS SECUNDA.



A.

Missa, quemadmodum a Sacerdote dicitur.

Dum populus aqua lustrali aspergitur:

Asperges me, domine, hyssópo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbator.

Psalm. 50. Miserere mei, Deus *, secundum magnam misericordiam tuam;

Et secundum multitudinem miserationem tuarum * dele iniquitatem meam.

Gloria patri etc. — *Deinde repetitur:* Asperges me, domine, hyssópo etc.

℣. Ostende nobis, domine misericordiam tuam (Alleluja).

℟. Et salutare tuum da nobis (Allel.).

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet

atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo, per Christum dom. n.

℟. Amen.

N. B. *Tempore paschali non dicitur: «Asperges me,» sed ejus loco:*

Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluia; et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt et dicent: Alleluia, alleluia.

Psalm. 117. Confitemini domino, quoniam bonus *, quoniam in saeculum misericordia ejus. — Gloria patri etc.

Deinde repetitur: Vidi aquam etc. *Reliqua ut supra.*

Missa ipsa.

Proprium ex missa votiva de ss. trinitate sumtum est.

Sacerdos: In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. — Introibo ad altare Dei.

Minister: Ad Deum, qui laetificat juventutuem meam.

PSALMUS XLII. *).

S. Judica me, Deus, et discerne caussam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

---

*) Hic ps. omittitur in missis defunctorum.

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus; quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria patri etc.

M. Sicut erat etc.

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaëli archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis et vobis, fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos et vos, fratres, orare pro me ad dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaëli archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis et tibi, pater: quia peccavi nimis cogitatione,

verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos et te, pater, orare pro me ad dominum Deum nostrum.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors dominus.

M. Amen.

S. Deus, tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua laetabitur in te.

S. Ostende nobis, domine, misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine, exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. ascendit ad altare. Oremus. Aufer a nobis, quaesumus, domine, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum dominum nostrum. Amen.

S. osculatur altare. Oramus te, domine, per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

INTROITUS.

Benedicta sit sancta trinitas atque indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscam misericordiam suam. Tob. 12, 6.

Psalm. 8, 10. Domine, dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Gloria patri etc.

Benedicta sit sancta trinitas atque indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. Kyrie eleïson. *M.* Kyrie eleïson.
S. Kyrie eleïson. *M.* Christe eleïson.
S. Christe eleïson. *M.* Christe eleïson.
S. Kyrie eleïson. *M.* Kyrie eleïson.
S. Kyrie eleïson.

CANTICUM ANGELORUM *).

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus pater omnipotens! Domine, fili unigenite, Jesu Christe! Domine Deus, agnus Dei, filius patris! Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto spiritu in gloria Dei patris. Amen.

---

*) Hoc canticum omittitur in missis violacei coloris et defunctorum.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

COLLECTA.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Aliae collectae privato usui convenientes.

A cunctis nos, quaesumus, domine, mentis et corporis defende periculis; et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. *(patrono ecclesiae)* et omnibus sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem, ut destructis adversitatibus et erroribus universis ecclesia tua secura tibi serviat libertate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pie-

tatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per dominum nostrum etc.

℟. Amen.

EPISTOLA.

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Corinthios.
II Cor. 13, 11.

Fratres! Gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete: et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Gratia domini nostri Jesu Christi et caritas Dei et communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

℟. Deo gratias.

Graduale. Dan. 3, 55. Benedictus es, domine, qui intueris abyssos et sedes super Cherubim.

℣. Benedictus es, domine, in firmamento coeli et laudabilis in saecula. Alleluja. Alleluja.

℟. Benedictus es, domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja.

Post septuagesimam omisso alleluja et versu sequenti dicitur tractus. Te Deum patrem ingenitum, te filium unigenitum, te spiritum sanctum paraclitum, sanctam et individuam trinitatem, toto corde confitemur, laudamus atque benedicimus.

℣ *Psalm.* 85, 10. Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

℣. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in saecula sempiterna; o beata trinitas.

Tempore paschali omittitur graduale, et ejus loco dicitur: alleluja, alleluja.

℣. *Dan.* 3, 52. Benedictus es, domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja.

℣. Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu. Alleluja.

Ante evangelium in medio altari. Munda cor meum et labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum dominum nostrum. Amen.

Jube domine benedicere *).

Dominus sit in corde meo et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem evangelium suum. Amen.

EVANGELIUM.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sequentia sancti evangelii secundum Joannem. *Joann.* 15, 26.

M. Gloria tibi, domine.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt patrem,

*) In missis defunctorum nunc statim dicitur: dominus vobiscum, et legitur Evang.

neque me. Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

M. Laus tibi, Christe.

S. Osculatur librum: Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

PROFESSIO FIDEI *).

Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum et ex patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. *Et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine et homo factus est (sac. genua flectit).* Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in spiritum sanctum, dominum et vivificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

---

*) Dicitur tantummodo diebus sollemnioribus.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.

OFFERTORIUM.

Oremus.

Benedictus sit Deus pater unigenitusque Dei filius, sanctus quoque spiritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. offert hostiam. Suscipe, sancte pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego, indignus famulus tuus, offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

S. benedicit aquae: Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti, da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, filius tuus, dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

S. offert calicem: Offerimus tibi, domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

S. se inclinat super altare. In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, domine Deus.

S. benedicit oblatis: Veni, sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Inter lavandas manus dicitur Ps. XXV.

Lavabo inter innocentes manus meas et circumdabo altare tuum, domine.

Ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, domine.

Gloria patri etc. Sicut erat etc. Amen *).

S. in medio altari sese inclinat: Suscipe, sancta trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper virginis, et beati Joannis Baptistae et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et istorum et omnium sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam

*) Omittitur *Gloria* patri in missis defunctorum.

agimus in terris: per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

Versus ad populum: Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum, patrem omnipotentem.

M. Suscipiat dominus hoc sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque ecclesiae suae sanctae.

S. Amen.

SECRETA.

Sanctifica, quaesumus, domine Deus noster, per tui sancti nominis invocationem hujus oblationis hostiam et per eam nosmet ipsos tibi perfice munus aeternum: per dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus etc.

ALIAE SECRETAE.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, ut per hujus sacramenti virtutem a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in praesenti et gloriam in futuro.

Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, tribue, quaesumus, ut, intercedentibus omnibus sanctis tuis, universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, et omnium fidelium nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat: per dominum nostrum etc.

PRAEFATIO.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sursum corda.

M. Habemus ad dominum.

S. Gratias agamus domino, Deo nostro.

M. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus. Qui cum unigenito filio tuo et spiritu sancto unus es Deus, unus es dominus: non in unius singularitate personae, sed in unius trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de filio tuo, hoc de spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus: ut in confessione verae sempiternaeque Deïtatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas. Quam laudant angeli atque archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes:

Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine domini. Hosanna in excelsis!

Canon missae.

Te igitur, clementissime pater, per Jesum Christum filium tuum, dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata, imprimis quae tibi offerimus pro ecclesia tua

sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro N. et antistite nostro N. et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio vivorum. Memento, domine, famulorum famularumque tuarum N. N... et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra actionem. Communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosae semper virginis Mariae, genetricis Dei et domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum: Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio: per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

S. manus tenet super oblata. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum jubeas

grege numerari: per Christum dominum nostrum. Amen.

S. benedicit oblatis. Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi filii tui, domini nostri Jesu Christi:

Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te, Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit deditque discipulis suis, dicens: *«Accipite et manducate ex hoc omnes!»*

„Hoc est enim corpus meum.“

Simili modo, postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit deditque discipulis suis dicens: *«Accipite et bibite ex eo omnes:»*

„Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.“

«Haec quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.»

Ceterum privato usui tacita ss. mysterii adoratio longe magis suaserim, quam ad rem haud parum conveniat hoc fere carmine uti:

Christi *corpus* ave sancta de virgine natum,
Viva caro, deitas integra, verus homo.
Salve vera salus, via, vita, redemtio mundi,
Liberet a cunctis nos tua dextra malis.
Christi *sanguis* ave, coeli sanctissime potus,
Unda salutaris, crimina nostra lavans.
Sanguis ave lateris Christi de vulnere sparse,
In cruce pendens unda salubris ave!

S. Anselmus Cantuariensis.

Unde et memores, domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi filii tui, domini nostri, tam beatae passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis: offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinae majestatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus et sanguinem sumserimus omni benedictione coelesti et gratia repleamur: per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

Commemoratio defunctorum. Memento etiam, domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.

Ipsis, domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur: per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus: cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et omnibus sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum dominum nostrum.

Per quem haec omnia, domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi, Deo patri omnipotenti, in unitate spiritus sancti omnis honor et gloria:

Per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere:

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut

et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

Amen.

Libera nos, quaesumus, domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genetrice Maria cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi: per eundem dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus:

Per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Pax domini sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Sac. particulam hostiae in calicem immittit: Haec commixtio et consecratio corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

---

*) Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

---

*) In missis deff. ter dicitur: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.* Tertio vero additur: *dona eis requiem sempiternam.*

Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis «pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,» ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen *).

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui ex voluntate patris, cooperante spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas: qui cum eodem Deo patre et spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio corporis tui, domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam: qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam et nomen domini invocabo.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

---

*) Ea oratio omittitur in missis def.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen domini invocabo. Laudans invocabo dominum et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumsimus, domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, domine, quod sumsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Communio. Tob. 12, 6. Benedicimus Deum coeli et coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

POSTCOMMUNIO.

Oremus.

Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, domine Deus noster, hujus sacramenti susceptio et

sempiternae sanctae trinitatis ejusdemque individuae unitatis confessio: per dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saecuorum.

Aliae postcommuniones.

Mundet et muniat nos, quaesumus, domine, divini sacramenti munus oblatum, et intercedente beata virgine, Dei genetrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. *(patrono ecclesiae)* et omnibus sanctis, a cunctis nos reddat et perversitatibus expiatos et adversitatibus expeditos.

Purificent nos, quaesumus, omnipotens et misericors Deus, sacramenta, quae sumpsimus, et intercedentibus omnibus sanctis tuis praesta, ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum: per dominum etc.

℟. Amen.
S. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
*) Ite, missa est. (Vel: Benedicamus domino).
℟. Deo gratias.

Placeat tibi, sancta trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis divi-

*) In missis defunctorum dicitur: *Requiescant in pace.*

nae majestatis tuae indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile: per Christum, dominum nostrum. Amen.

Sac. benedicit populo *): benedicat vos omnipotens Deus, pater et filius et spiritus sanctus.

℟. Amen.

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi, domine.

In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus ab Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

*) In missis defunctorum non benedicitur populo.

Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis.

℟. Deo gratias.

Benedictio tempestatum

fit a festo inventionis usque ad exaltionis sanctae crucis hoc modo:

℣. A fulgure grandine et tempestate (Alleluja).
℟. Libera nos domine Jesu Christe (Allel.).
℣. Ostende nobis, domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut intercessione sanctae Dei genetricis Mariae, sanctorum angelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, viduarum et omnium sanctorum tuorum continuum nobis praestes subsidium, tranquillam auram permittas, atque contra fulgura et tempestates desuper nobis indignis tuam salutem effundas de coelis, et generi humano semper aemulas dextera potentiae tuae aëreas conteras potestates: per eundem dominum etc.

℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam per ipsos motus aëris ad cultum tuae majestatis in-

stituis, tranquillitatem nobis tuae misericordiae, remotis aëris terroribus, permanere permittas, ut cujus iram expavemus clementiam sentiamus: per dominum etc.

℟. Amen.

℣. Sit nomen domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Benedictio Dei omnipotentis † Patris et filii et spiritus sancti descendat super vos, locum istum, fructus terrae et maneat semper.

℟. Amen.

Secunda ratio
obeundi ss. sacrificii missae.

Ante principium missae.

Sancte spiritus, cujus gratia destitutus ne nomen quidem Jesu cum merito pronunciare valeo, adesto meae fragilitati. Illumina intellectum, inflamma amore voluntatem, munda memoriam ab omnibus vanis, perversis, alienis cogitationibus, ut digne, attente, devote huic divino mysterio, in quod angeli prospicere cupiunt, intersim et audiri a divina majestate tua merear. Amen.

Ad initium missae.

Utinam, sanctissime Deus, hanc domini nostri Jesu Christi memoriam eadem pietate recolere valeam,

qua purissima mater Maria ipsum filium suum cruce oneratum, in montem Golgotha sequebatur ac sub veneranda cruce cum sancta Maria Magdalena et s. Joanne stabat.

Utinam aeque ac pia mater ardeam quodam amoris incendio; utinam aeque urar dolorum facibus, aeque socius sim acerbissimarum domini perpessionum! Sed eheu me miserum peccatorem! Erubescens vix audeo oculos ad sanctam crucem tollere! Quare publicanum in templo orantem imitans pectusque meum percutiens: «propitius esto, clamo, mihi peccatori!»

Et quo acceptior mea sit poenitentia, me coram ecclesia militante et triumphante scelerum accusans, invoco beatam virginem, sanctos angelos omnesque sanctos, ut intercessione sua veniam et indulgentiam mihi impetrent a Deo per virtutem crucis ac mortis domini nostri Jesu Christi. Amen.

Deus pater, qui nos creavisti et ad coelum vocasti, cujus sumus liberi ac possessio, miserere nostri.

Deus fili, Jesu Christe, qui propter nostram salutem acerbissimam mortem subisti, miserere nostri.

Deus spiritus sancte, qui nos lumine tuo illustras et ope sanctae gratiae tuae Deo acceptos reddis, miserere nostri. Amen.

Ad hymnum «Gloria in excelsis.»

Confidens igitur, misericors Deus, a te gemitum poenitentiae meae esse auditum, peccata remissa, favorem tuum recuperatum, cum carmine angelorum vocem meam sociare audeo.

Salus Deo nostro, qui sedet in throno! Laudate eum, omnes gentes, laudate eum, omnes nationes! A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen domini; quia confirmata est in nobis misericordia ejus, et veritas ipsius manet in aeternum. Benedictio et claritas et gratiarum actio, laus et honor et virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum! Amen.

Ad collectam.

Audiat summa potentia tua, aeterne Deus, quas pro salute populi tui ad te mittit preces sacerdos, famulus tuus; eam nobis tribue gratiam, ut et quae vere nobis sint saluti a te petamus, et petita semper a tua caritate impetremus: per dominum etc.

Adesto, domine, sanctae ecclesiae tuae, ut ipsi ab hostibus paratas insidias destruas, nosque ipsos illa duce cum libera securitate ad patriam aeternam perducas: per Chr. d. n. Amen.

Ad epistolam.

Gratias tibi ago, mi Deus, quod mihi prae innumerabilibus hominibus, qui densissima caligine sunt adhuc circumfusi, mirum lumen divinae disciplinae manifestasti. Adoro sanctum spiritum, loquutum olim per prophetas et apostolos, atque etiamnunc loquentem per ecclesiam catholicam. Acceptis igitur cum reverentia et humilitate omnibus prophetarum et apostolorum doctrinis, firmiter quidquid per eos dixisti teneo.

Tribue mihi gratiam tota vita perficiendi id, quod mente credo et lingua profiteor. Amen.

Ad evangelium.

Quantum tibi debeo, Jesu Christe, fili Dei vivi, qui prophetis ad nos missis non fuisti contentus, sed ipse caro factus es, ut nos lumine evangelii collustrares. Quam ingens turba hominum tuis praeceptis ad virtutem indeque ad praemia sempiterna pervenit! Quanta dignus sum invidia, qui per te ad cognoscendam veritatem, ad exercendam virtutem, ad fruendam beatae vitae aeternitatem destinatus sim!

Tribue mihi eam fidem, quae operibus demonstretur, ne quando Ninivitae surgentes me condemnent, quod ipsi, Jona loquente, poenitentiam fecerint, ego vero tuam neglexerim auctoritatem; ne quando regina Sabaea, quae ad audiendum Salomonem contenderat, contra me existat, quod ego te, infinite ampliorem Salomone, non audierim. Nunquam sancti Evangelii me pudeat, sed coram omnibus nunc et semper me profitebor verum christianum, fidelem discipulum doctrinae tuae. Auge et in animo meo fidem et in orbe terrarum regnum tuum, ut fiat unus pastor et unum ovile. Amen.

Ad symbolum.

O domine, origo et fons veritatis! ego, quamvis indignus et miser peccator, firmiter et toto animo et ore integram profiteor doctrinam catholicam cum omnibus quos habet articulis, quemadmodum ab ecclesia Romana, alma orbis terrarum matre, praedicatur, docetur et tenetur. Sed quum multae, mi Deus, incidant tentationes variaque pericula, quorum occasione fortasse, quod absit, intellectu aut ipsa

morte aut alias vitiato, a sancta fide aberrem vel alicui peccato consentiam: nunc pro tota vita mea coram tua summa majestate et purissima matre Maria et angelo meo custode ac toto coelesti coetu declaro, me in hac sacra fide catholica et in plena Dei caritate et in sinu sanctae ecclesiae, quae nullum ad se revertentem repellit, sine ullo peccati cujusdam consensu semper velle vivere et mori. Amen.

Ad Offertorium.

Suscipe, sancte pater, aeterne Deus, ex manibus sacerdotis tui panem et vinum, ut consecrentur in corpus et sanguinem carissimi filii tui, servatoris nostri Jesu Christi, cujus salutarem mortem recolentes hoc ipsum tibi immolamus sacrificium.

Offero tibi illud una cum omnibus sacrificiis tibi gratissimis universisque sanctae ecclesiae meritis ad confitendam tuam summam majestatem nostramque servitutem.

Offero illud ad gratias tibi referendas pro omnibus donis in me aliosque homines collatis.

Offero tibi illud ad impetrandas tum mihi tum omnibus hominibus ad salutem necessarias gratias.

Offero denique hanc memoriam salutis nostrae, ut satisfiat majestati tuae, quae et a me, abjecto peccatore, et ab omnibus hominibus inde ex origine mundi usque ad hanc horam toties et tam graviter offenditur.

Cum hoc sacrificio trado tibi, pater coelestis, ne repudies vile munusculum, me totum, quidquid sum, quidquid habeo, quidquid valeo. Suscipe me servum tuum in aeternum. Amen.

Subvenite mihi, sancti Dei, sociate mecum vestras preces, ut quod facio sacrum Deo sit acceptum, mihi vero et universae ecclesiae, vivis atque defunctis, quam utilissimum. Amen.

Quum sacerdos manus lavat.

Obsecro te, Jesu Christe, restitutor innocentiae idemque amator castitatis, per illam immensam misericordiam, qua ornatus ad nos liberandos de coelo descendisti, ut animum meum ab omni macula impuritatis penitus mundes. Et quemadmodum quondam sanctum Thomam Aquinatem, per angelum lumbis ejus compressis, quaque impura tentatione in sequentem vitam liberasti, ita in me quoque exstingue vitiosos et libidinosos affectus, ut tibi casto corpore serviam et mundo animo placeam. Sed et cetera in me dele peccata, repelle tentationes, ut laeta mente te purissimum et sanctissimum semper in ss. sacramento recipiam et in ara praesentem aspiciam.

Ad praefationem.

Jamjam appropinquat beatissimum temporis punctum, quo rex coeli et terrae, Jesus Christus, unigena Dei filius, salus mundi, divinorum vi verborum super panem et vinum prolatorum, vere cum tota natura sua praesens erit, ut cruentam olim in cruce mortem nunc sine cruore renovet. Quare sacerdos sublatis manibus et clara voce nos admonet, ut terrestria obliti ad te, summe Deus, feramur.

Itaque gloria et gratiarum actio esto tibi, Deus optime maxime, pater aeterne, qui cum filio tuo et

spiritu sancto unus es Deus, unus es dominus! Te vero sine intermissione laudaturi, nos in Jesu Christo conjungimus cum angelis et coetu universo sanctorum, tibi perpetuo cantantibus:

«Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus exercituum.»

Ad initium canonis.

Etiam atque etiam te rogo, pater benignissime, ut, per Jesum Christum hoc sacrificio suscepto, nobis benedicas. Imprimis largitatis tuae dona in ecclesiam tuam effunde, ut per universum orbem terrarum a te protegatur, regatur et concors conservetur. Tuere et guberna famulum tuum, Papam nostrum N. et episcopum N. omnesque sanctae ecclesiae sacerdotes. Revoca miserrimos istos, qui cum periculo aeternae salutis vel a doctrina vel a disciplina ecclesiae aberraverunt. Praeterea commendo liberalitati tuae mihi caros N. N., commendo tibi benefactores, amicos et inimicos, commendo tibi eos, qui morti proximi sunt et qui peccandi periculo exponuntur. Omnibus omnia animi corporisque bona tribue. Amen.

Incipit tremendum mysterium, non minus infinitum atque ipse Deus, quippe quod nemo homo, nemo angelus comprehendat. Tu enim solus, Jesu, nostrarum amator animarum, cognitum habes, cum quanto amore, sicut in uterum s. virginis descendisti, ita in terram quotidie descendens in altari te Deo patri immoles. Utinam tui, sponse animarum, desiderio prorsus tabescam parique te exspectem fervore, ac sancti patres olim: «rorate coeli» clama-

vere. Occurram tibi, domine, cum eadem festinatione, qua pueri Hebraeorum tibi Hierosolymam ingredienti obviam ierant, salutem te et ego cum laetitia et exultatione. Procidam coram te, tuam adoraturus majestatem, tuos osculaturus pedes, tuam imploraturus misericordiam, praedicaturus benignitatem, admiraturus pulcritudinem. Veni Jesu, veni gaudium, veni solatium meum!

Quando corpus et sanguis domini populo ostenduntur:

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas.
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas;
Sed hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane *), Jesu domine!
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

S. Thomas Aquinas

Credo te, Deus, prima veritas, propter infinitam auctoritatem tuam. Adoro te propter excellentiam tuam non creatam. In te spem habeo propter immensam misericordiam tuam. Amo te ob summam bonitatem et pulcritudinem tuam. Confundor et erubesco, quod te, bono infinito, non contentus, exigua et falsa bona quaesivi. Doleo peccata mea propter te, quippe quem prae omnibus amem. Et paratus ad satisfaciendum tibi hac vita, te adjuvante, plenam et perfectam emendationem mihi propono. Tibi gratias ago pro universis quibus me cumulare non cessas beneficiis. Quidquid habeo ac possideo, id tibi

*) Pelicanum veteres fabulabantur, quum ob nimiam siccitatem nihil aquae reperiat, pectore lacerato sui ipsius sanguinem sitientibus pullis bibendum dare.

totum restituo tuaeque prorsus trado voluntati gubernandum. Omnibus, qui me offenderunt, ex animo ignosco propter amorem tui. Miserere animae meae per dolores filii tui et perduc eam omnibus sacramentis munitam in vitam aeternam. Amen.

Nunc vero, Deus pater, dominator universorum, nunc habemus hostiam, quam persuasissimum nobis est a te non solum recipi, sed vel omnium gratissimam tibi esse. Etenim adest in altari tuo filius tuus unigena, qui se offerat pro nobis. Quam sacrosanctam hostiam ante divinam majestatem tuam portaturum emitte angelum de coelis. Quantopere vero haec hostia salutari nos afficit tremore! Adest enim ille, qui omnia scit, omnia habet, omnia potest; adest Deus, qui mundum complet, a mundo vero non completur; adest Deus, qui nos in cruce servavit; adest Deus, qui aliquando fulminis instar in terram reversus plenus majestatis nos judicabit. Neve vero terreas nos, domine, splendore tuo, sed invites ad te illa qua es bonitate: «*Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*»

Praesta sacerdoti tuo eum precum et amoris fervorem, ut digne te tractet, offerat, sumat; praesta nobis quoque eam vim devotionis, ut te digne salutemus. Reple universum mundum lumine claritatis tuae. Amen.

Commemoratio defunctorum.

Praecipue vero emitte lucem tuam ad fratres nostros in loco sollicitudinis, poenitentiae et caliginis

versantes, qui beato adspectu caritatis tuae adhuc carent. In specie misericordiam illis imploro, quibus vel caritate vel officio obligatus sum N. N.; praeterea illis, quorum nemo amplius memor est, vel qui liberationi sunt proximi. Ipsos et ceteros in Christo defunctos, vinculis liberatos, ad regnum claritatis tuae perducas. Amen.

Sed nos quoque, miserrimi peccatores, fac ut aliquando intercessione beatissimae virginis et omnium sanctorum et vi meritorum in ecclesia depositorum beati aeterno aevo fruamur simul cum omnibus a te electis.

Pater noster.

Pater noster, qui es in c. etc.

Deus, qui haud ignoras, sexcentis nos undique circumdari malis, praeteritarum quod etiam nunc superest dele, aufer praesentes, repelle futuras, quo liberius et expeditius sanctae majestati tuae serviamus. Libera nos praesertim illo quo nullum majus est malo, videlicet peccato, et, si unquam nobis acciderit, ut peccemus, ne aeternae salutis expertes simus, fac Petri exemplo iniquitatem lacrimemus.

Domine Jesu Christe, qui hoc immensum mysterium praecipue etiam ad fideles tuos caritatis mutuae vinculis jungendos instituisti, praesta ecclesiae sanctae per universum orbem terrarum pacem et concordiam, regibus et principibus unitatem; nobismetipsis mutuam benevolentiam. Ignosco ego omnibus inimicis, frange tu et inimicorum in me invidias, ut placato animo huic sacrae communioni intersim. Amen.

Ad communionem.

Sum utique indignus, domine Jesu Christe, cujus in animum intres; inquinatus enim sum permultis sceleribus. Ea autem vehementer dolens, etsi reapse vereque non possum, mente tamen animique desiderio cupio corpus tuum suscipere. Ergo veni in cor meum, ibique majestati tuae ornatissimam habitationem praepara.

Quam pulcher es, a me electe, quam bonus, quam amabilis! O unicae deliciae, o vita, o gaudium, o summa jucunditas! Complector te quam possum vehementissima caritate, nam tu es fons bonitate et aeterno amore abundantissimus, origo pulcritudinis omnibus numeris absoluta. Ecquid tandem a te, mi sponse, me separabit? Voluptasne brevis, opes caducae. honorum vanitas, nugae terrarum? Nihil, omnino nihil me amplius a te separabit, nec praesentia nec futura, neque mors, neque ulla fortuna! Dona mihi gratiam tuam, ut quam brevissimo tempore cum convenienti perfectaque devotione ss. sacramentum tuum sumam, quo sanentur omnes plagae, animo meo peccatis inflictae; tunc medearis, rogo, toti fragilitati meae et ab omnibus periculis me validissime tuearis. Amen.

Ad postcommunionem.

Obtulit tibi, pater coelestis, sacer populus tuus sacrosanctam hostiam, quae olim in Golgotha monte immolata, totius mundi iniquitatem remisisti. Ne recedant a conspectu majestatis tuae cicatrices filii tui, ut, quanto pretio redemti simus nunquam im-

memor, nos semper placatus accipias. Miserere mei ob hanc pretiosissimam hostiam, et concessis mihi gratia, misericordia, peccatorum remissione, perducas me ad aeterna gaudia. Amen.

Ad benedictionem.

Deus optime maxime, servator animarum mundique liberator! Me famulum tuum ante majestatem tuam prostratum noli aspernari. Qui benedicis benedicentibus tibi et tibi confidentes sanctos reddis, tuere populum tuum, benedic mihi et universo redemtorum gregi in nomine † patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Ad finem missae.

Respice clementissime ad sacrificium, quod in honorem nominis tui, pro salute vivorum ac defunctorum modo obtulimus. Iram tuam a me remove, gratiam omnium virtutum concede, ex omnibus malis me potenter eripe, et quidquid negligentiae in sacra actione commisi, mansuete indulge. Sic nos in hoc mundo tuis praeceptis inhaerentes redde, ut aliquando tecum in aeternum regnemus, Deus noster, cujus nomen amplissimum, cujus honor et imperium permanet per omnia saecula. Amen.

Tertia ratio

obeundi ss. sacrificii missae.

Quia interdum evenit, ut quis sive aliud precum vel contemplationum genus praeferens, sive

cantans, sacerdotem continenter nequeat usitatis precibus prosequi, saltem in tribus praecipuis partibus ad ss. sacrificium animum attendat.

Principio missae.

Deus, qui ad liberandum mundum voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda proditore osculo hostibus tradi, vinculis alligari, agni innocentis instar ad caedem duci, conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, ad latronum ordinem deprimi, felle et aceto satiari, lancea vulnerari:

Tu, domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego peccator recolo, et per sanctam crucem mortemque tuam libera me a peccatis meis, ut huic tremendo sacrificio sancte intersim atque a tua clementia audiar. Amen.

Ad offertorium.

Suscipe, sancte pater, hoc sacrum a nobis tibi oblatum in debitam majestatis tuae adorationem et in scelerum nostrorum expiationem, indeque qua es infinita bonitate fac ut ad nos largissima dona, tum ad animorum tum ad corporum salutem necessaria, redundent. Amen.

Praeterea, o domine, filii tui ardentissimo amori purissimaeque voluntati, quibuscum in cruce pro

nostra salute se sacrificavit, conjunctus, una cum hoc sacerdotis sacrificio me ipsum totum tuo honori et obsequio dedico. Et loco meae exiguae dignitatis atque hujus meae parvae devotionis offero tibi profundam illam humilitatem, caritatem, puritatem, quibuscum veneranda mater Jesu Christi omnesque fideles famuli tui huic sacrificio interfuere, quibusque ornata tua sancta ecclesia catholica etiamnunc ubique terrarum sacrum facit. Amen.

Quum sacrae species populo ostenduntur.

Ave, verum corpus, natum
De Maria virgine:
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine,
Cujus latus perforatum
Unda fluxit et sanguine,
Esto nobis praegustatum
Mortis in examine.
O dulcis, o pie,
O Jesu, fili Mariae
Miserere mei!

Incogniti auctoris.

Anima Christi, sanctifica me,
Corpus Christi, salva me,
Sanguis Christi, inebria me,
Aqua lateris Christi, munda me.
O bone Jesu, exaudi me
Et ne permittas, me separari a te;

Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et pone me juxta te,
Ut cum angelis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

S. Ignatius.

Domine Jesu Christe, vere hic praesens, vere deus et homo! Te adoro tota mente, te confiteor meum unicum creatorem et liberatorem finemque ultimum. Et quia mea servitus nimis exigua et vilis est, tibi offero illos excellentissimos affectus, quos tua sanctissima humanitas et praeclarissima mater, virgo Maria totumque concilium coeleste ac sancta ecclesia catholica, tua carissima sponsa, tibi perpetuo persolvunt. Amen.

Ad communionem.

Optime Jesu! intra in cor meum, fac plenum desiderium meum, perfice beatissimam vitam animi mei. Tecum enim habeo totum atque omne bonum, quod desiderem. Refice igitur, domine, esurientem servum tuum; accende voluntatem quam habeo rigidam igne amoris tui, mentis tenebras tuae praesentiae claritate illustra. Fac, ut mihi quidvis terrestre sit amarum, quidvis creatum vile et despiciendum. Animum vero ad te in coelum erectum noli sinere per terram vagari. Penetret, oro, vis hujus sacramenti per intima mea, ut quidquid in me pravum ac vitiosum corrigat vel exstinguat. Jam vero ex te solo, dulcissime Jesu, oblectamenta mea pro-

veniant; quod gaudium sit sine te, ejus me taedeat, quae in te non sit requies, ea mihi acerba videatur. Accende me, benignissime Jesu, tanquam radiis ex ss. sacramento tuo emicantibus. Ipse mihi moriar, ut nemini nisi tibi vivam. Utinam me ignea quaedam vis caritatis tuae correptum in te commutet et tecum penitus omninoque uniat. Amen.

Fine missae.

Gratum sit majestati tuae, domine, quod sacer populus tuus obtulit sacrificium. Jamjam paululum temporis a te recedens tibi supplico, ut me cum fratribus et amicis inimicisque tuae infinitae bonitati commendatos habeas. Nos divino amore flagrantes tui facias quam simillimos; quotidianas actiones guberna, ne sancta praecepta tua negligamus. Immo nihil nostris in cogitationibus, verbis, operibus insit, nisi tu, mi amor, qui vivis et regnas per omnia saecula. Amen.



PARS TERTIA.


BRITISH
MUSEUM

Preces ad suscipiendum poenitentiae sacramentum.

Vivo ego, dicit dominus, nolo mortem peccatoris, sed malo, ut convertatur et vivat.

ANTE CONFESSIONEM

1. *Praepara animum.*

Filii perditi instar ad te, pater coelestis, revertor. Atque immensa animi mei miseria perturbatus eminus: «Surgam, clamo, ad patrem rediturus et loquuturus: peccavi contra coelum et contra te, pater; non sum dignus, qui dicar filius tuus.»

Recipe propitius Jesu Christi caussa me peccatorem, qui, relicto te, fonte vivae aquae, in luto libidinum volutabar; receptoque redde vestem primam et anulum amoris. Amen.

Revertor ad te, Jesu Christe, pastor bone, ut me, qui ovis perditae instar erraveram, susceptum humeris tuis ad gregem reportes. Ecce modo miseri illius hominis, qui a latronibus inter Hierosolymam et Jericho spoliatus erat, abundo vulneribus. Effunde igitur tanquam oleum clementiam, ut saner. Qui publicanos cum misericordia accepisti, qui Mariam Magdalenam cum lenitate peccatorum absolvisti, qui latronem in paradisum vocasti: tunc, domine, me

rejicies? Nunquam profecto id facies, quippe qui ad servandos ipsos illos, qui perditi fuissent, exieris.

Revertor ad te, sancte spiritus, cujus gratiam in s. baptismo in me collatam foede perdidi, cujus toties aspirationes neglexi, cujus caritatem tot tantisque sceleribus offendi. Qui per psalmistam: «tua salus ego sum» mihi dixisti, noli me a te repellere. Amen.

2. *Pete lumen.*

Qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, sancte spiritus, mei quoque ingenii caliginem illustra, commone me omnium quae commisi peccatorum, excita in animo vehementissimum dolorem et firmissimam emendandae totius vitae voluntatem. Amen.

(Examina nunc conscientiam religiose, integre, vere).

3. *Dole peccata.*

Peccavi, Domine! Graviter, foede, turpiter te offendi. Heu me stultissimum, qui in peccando me inventurum putaverim pacem et requiem! *Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Idcirco non inveni pacem, sed intestinam seditionem, non requiem, sed sollicitudinem, non gaudium, sed summum dolorem, non vitam, sed mortem, et vae mihi! mortem aeternam. Vae mihi misero, si ex hac vita me ad tuum tribunal vocavisses — tunc ubi essem?

Sed longe magis doleo, quod te offendi patrem mei amantissimum, benefactorem munificentissimum, summum bonum. — Longe magis crucior, quod re-

novavi tua vulnera, Jesu Christe; longe magis doleo, quod tibi adversatus sum, o infinita sapientia; quod te sprevi, qui pro me tam mira fecisti, tam dira sustinuisti, tantum sanguinis fudisti, te, qui es admodum magna merces sanctorum omnium. — Summopere doleo, quod tuum lumen, s. spiritus, in me exstinxi, donis tuis abusus sum, te ipsum, loco dato satanae, turpissime ex animo ejeci.

Etenim quam insipiens, quam ingratus fui, qui voluptatem brevissimam, lucrum exiguum, honorem vanum tibi anteposuerim, tibi, o sanctitas, pulcritudo, dulcedo, perfectio. *O immensa, semper nova pulcritudo, quam sero te amo!* Ignosce mihi. Propitius esto mihi, Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed mavis, ut emendetur et vivat. Amen.

Exora mihi Deum, virgo potens, ut tribuat mihi gratiam perfectae poenitentiae. Sancta Maria Magdalena, sancte Petre, omnes sancti poenitentes, quorum lacrimae Jesu Christo tam carae fuere, orate pro me.

4. *Propone tibi mores emendare.*

Quamdiu ad aeternam miseriam progredi non desinam? Quamdiu tua abutar patientia? Quamdiu effrenata sese jactabit peccandi audacia? Volo, mi Deus, volo vitam emendare; malo mori, quam amplius peccare. Quamobrem subveni mihi, ut tuo auxilio adjutus despiciam mundi illecebras, eludam fraudes infernas, vincam in me ipso vitiorum semina. Satisfactionem autem pro peccatis meis sanctitati tuae offero vitam, mortem et resurrectionem filii tui, merita beatae virginis et omnium sanctorum.

Quorum patrociniis fretus a te remissionem peccatorum et gratiam usque ad finem perseverandi cum fiducia spero. Ejus vero perseverantiae, quaeso, mihi tribue donum, ne unquam ad pristina mala redeam. Amen.

5. *Jamjam confessurus dices:*

Accedam igitur ad sacerdotem, qui tuas gerit vices, o Deus, ut sine fraude peccata mea confitear. Verum tribue mihi, ut aperte et integre omnia confitear. Non erubescam fateri peccata, quae non erubui committere.

Agnosce quod tuum est in me; absterge quod alienum est a te; lava me immundum tuo sanguine; sana, medice divine, sana animam meam.

O Maria, refugium peccatorum, ora pro me.

---

6. *Accepta sacerdotis benedictione, sic orabis:*

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaëli archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis et tibi, pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere,

in specie horum peccatorum, quae ex ultima confessione commisi, me accuso:

Confessus peccata, pectus percutiens prosequere:

Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa! Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos et te, pater, orare pro me ad dominum Deum nostrum.

POST CONFESSIONEM

1. *Gratias age.*

Benedic, anima mea, domino, et quae intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, domino et noli oblivisci innumerabilia beneficia ejus. Quippe qui veniam dederit omnium scelerum meorum, qui sanaverit omnes infirmitates meas. Etenim ex interitu vitam meam eripuit, misericordia tanquam corona caput meum cinxit. Et quod boni petieram, id mihi dedit, renovavit sicut aquilae juventutem meam. Quantum enim ab oriente distat occidens, quantum coelum a terra, tantum a me peccata removit, quia non in perpetuum peccatori irascitur, neque in aeternum minatur. Contra memor fragilitatis nostrae paterna clementia me prosequutus est. Ergo benedicite ei omnes angeli et sancti, quorum societati ego, et ipse nunc sanctus, divina misericordia conjunctus sum *(ex Ps.* 102.*)*.

2. *Denuo auxilium divinum implora.*

Audio te, optime Deus, paterna voce monentem: *«Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid deterius tibi accidat.»* — Maneant haec mihi verba alta in mente reposita, ut semper orando, semper vigilando tentationes fugiam. Quare stat mihi sententia praecipue hoc peccatum N. N., ad quod natura maxime propensus sum, religiosissime vitandi. Confirma vero hanc bonam voluntatem! — Sed futurum tempus horreo, domine, perseveraturusne sim, nec ne? Emitte igitur, intercedente beata virgine Maria totaque coelesti civitate, spiritum sanctum tuum in animum meum, ubi operetur et loquatur

sine strepita verborum, per Christum dominum nostrum. Amen.

Vel dicatur canticum, quod Ambrosianum vocant.

† TE DEUM:

Te Deum laudamus: te dominum confitemur.

Te aeternum patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli: tibi coeli et universae potestates,

Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, sanctus: dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra: majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus apostolorum chorus,

Te prophetarum laudabilis numerus,

Te martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum: sancta confitetur ecclesia,

Patrem immensae majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum filium,

Sanctum quoque Paraclitum spiritum.

Tu rex gloriae Christe.

Tu patris sempiternus es filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti virginis uterum.

Tu devicto mortis oculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria patris.

Judex crederis esse venturus.

(Hic genua flectuntur). Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum sanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, domine, et benedic haereditati tuae.

Et rege eos et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum: et in saeculum saeculi.

Dignare, domine, die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua, domine, super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te, domine, speravi: non confundar in aeternum.

℣. Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu (Alleluia).

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula (Alleluia).

OREMUS.

Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas; per Christum dominum nostrum. Amen.

Breviores preces ad suscipiendum poenitentiae sacramentum.

ANTE CONFESSIONEM

1. *Praepara animum.*

Gratias tibi ago, mi Deus, quod ex nihilo me creasti, natum adhuc conservasti, perditum pretioso

sanguine tuo ex aeterno terrore eripuisti, christiana fide me imbuisti, quum innumerabilia alia beneficia praestitisti, tum litteris intelligentiam meam prae sexcentis illustravisti:

Pro his omnibus universe tibi gratias ago, proprie vero, quod s. sacramentum poenitentiae ad remittenda peccata instituisti. Quamobrem beatam virginem, angelos et sanctos precor, ut ipsi meo loco tibi laudem et aeternam gratiam referant. Amen.

2. *Lumen pete.*

Admove, domine, qui es ipsa lux, tui claritatem luminis meo ingenio, ut negligentias et peccata mea lucide cognita, sicut oportet, cum vero dolore sacerdoti tuo confitear atque, adjuvante tuo numine, plane emendem tibique satisfaciam; id quod tibi ac beatae virgini et sanctis omnibus sit laudi et honori, mihi vero saluti aeternae. Amen.

(Examina conscientiam.)

3. *Dole peccata, statue melior fieri.*

Domine Jesu Christe, vere Deus et homo, mi creator et salus mea! Poenitet me ex intimo animo, quod te Deum ac dominum meum, quem supra omnia amo, unquam offendi. Quamobrem mihi ratum fixumque esto non amplius peccare, delinquendi occasiones vitare, scelera fateri, piacula jussa sancte conficere.

Et in satisfactionem delictorum offero tibi tuam ipsius sanctissimam vitam et saluberrimam mortem totumque pretium sanguinis tui pro nobis effusi. Quibus adjungo merita quoque sanctae virginis omniumque sanctorum, et sin ego, miser peccator, vel

boni quidquam fecerim, vel quid mali patienter sustinuerim.

Tua vero immensa bonitate et misericordia fretus spero fore, ut remittantur mihi omnia peccata tribuaturque gratia usque ad finem tibi fideliter serviendi; qui cum patre et spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

4. *Jamjam confessurus dicas:*

Propitius esto, Deus, mihi peccatori!

Jesu, fili David, ignosce mihi!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei.

Deinde peccata fatere qua supra diximus forma.

POST CONFESSIONEM

Remissa sunt mihi peccata mea! Pleno animi fervore, clementissime Jesu, tibi gratias ago, qui me indignum peccatorem patienter exspectaveris miraque lenitate scelerum absolveris.

Suscepta igitur humili confessione mea, obsecro, ut quidquid vel justi doloris vel enumerationis peccatorum mihi defuerit, id benigne ex fonte misericordiae tuae velis supplere, me vero perfecte absolutum in coelis habere, ut abhinc, intercedentibus beata Maria et sanctis, peccata fugiens tibi in dies fidelius serviam. Statui enim, te juvante, custodire judicia justitiae tuae, qui vivis et regnas in saecula. Amen.

Sit tibi, domine, obsecro, meritis beatae semper virginis, matris tuae Mariae, et totius coelestis curiae grata et accepta haec confessio mea: et quidquid sive in dolendis sive in confitendis peccatis omisi tua

suppleatur clementia et misericordia. Habeas me, quaeso, plane et integre absolutum in coelis, qui vivis et regnas in saecula. Amen.

Oratio post confessionem utilissima.

Ad expianda et emendanda universa quae commisi scelera offero tibi, pater plene caritatis, filii tui unigenae sanctissimam vitam et innocentissimam quam pro nobis perpessus est mortem et quaequae toleravit mala inde ab illa beata hora, qua verbum caro factum est, usque ad horam lugubrem, qua inclinato capite cum magno clamore emisit spiritum. Rogo te per merita ejus, ut deleas mea peccata, conferas ad pie sancteque vivendum gratiam, ne unquam amplius peccata in me admittam, sed sexcenties malim mortem eligere. Praesta, ut te patrem ac Deum mei amantissimum ante omnia diligam, tibi soli placere velim, nihil creati nisi tua caussa amem: per Christum, dominum nostrum. Amen.

---

† Septem psalmi poenitentiae

Si opportunum sit, dicendi vel ante vel post confessionem.

Antiphona. Ne reminiscaris, domine, delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

PSALMUS VI.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, domine, quoniam infirmus sum, * sana me, domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu, domine, usquequo?

Convertere, domine, et eripe animam meam; * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus; * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, * quoniam exaudivit dominus vocem fletus mei.

Exaudivit dominus deprecationem meam, * dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria patri.

PSALMUS XXXI.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates, * et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit dominus peccatum, * nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: * conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci * et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam domino: * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: * exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris, * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fraeno maxillas eorum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, * sperantem autem in domino misericordia circumdabit.

Laetamini in domino et exultate, justi, * et gloriamini, omnes recti corde.

Gloria patri.

PSALMUS XXXVII.

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae super gressae sunt caput meum * et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae * a facie insipientiae meae.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem: * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus; * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis; * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum; * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea; * et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei * adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant de longe steterunt; * et vim faciebant qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates; * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam; * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens * et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, domine, speravi; * tu exaudies me, domine Deus meus.

Quia dixi: Ne quando supergaudeant mihi inimici mei; * et, dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum; * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo; * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt super me; * et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, domine, Deus meus: * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, * domine, Deus salutis meae.

Gloria patri.

PSALMUS L.

Miserere mei, Deus, * secundum magnum misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea; * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiae tuae manifestati mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor, * lavabis me, et super nivem dealabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam; * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua; * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui, * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquas vias tuas; * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae; * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies; * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, domine, in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta; * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria patri.

PSALMUS CI.

Domine exaudi orationem meam; * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me; * in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tecam.

In quacumque die invocavero te, * velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei; * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum; * quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: * factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, * et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei; * et qui laudabant me adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae, * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, * et ego sicut foenum arui.

Tu autem, domine, in aeternum permanes; * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion; * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, * et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, domine, * et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit dominus Sion; * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium; * et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera; * et populus, qui creabitur, laudabit dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo; * dominus de coelo in terram aspexit:

Ut audiret gemitus compeditorum; * ut solveret filios interemptorum:

Ut annuntient in Sion nomen domini * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum * et reges, ut serviant domino.

Respondit ei in via virtutis suae; * paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, domine, terram fundasti, * et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt; * et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria patri.

PSALMUS CXXIX.

De profundis clamavi ad te, domine: * domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, domine: * domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te, domine:

Sustinuit anima mea in verbo ejus; * speravit anima mea in domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in domino.

Quia apud dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria patri.

PSALMUS CXLII.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua; * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo; * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam, * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: * et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis; * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velocriter, exaudi me, domine: * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me; * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, domine, ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; * propter nomen tuum domine vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam; * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam; * quoniam ego servus tuus sum.

Gloria patri etc.

Repetitur antiphona:

Ne reminiscaris, domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

NONNULLARUM ENUMERATIO INDULGENTIARUM.

1. Qui praedicationem ss. trinitatis «*gloria patri et filio etc.*» ter mane, ter meridie, ter vesperi dixerit ad gratias Deo agendas pro gloria in beatam Mariam collata, is 300 dierum indulgentiam habet. Quod qui per integrum mensem fecerit, plenae indulgentiae particeps est. Quas indulgentias etiam in defunctos conferre licet.

2. Quoties quis salutatione christiana «*Laudetur Jesus Christus*» usus erit, vel salutanti «*in saecula, amen*» responderit, 100 dierum indulgentiam habebit. Qua salutatione si quis tota vita usus ipso

mortis puncto saltem animo poenitenti sacra nomina *Jesu* et *Mariae* pronunciat, is plenam indulgentiam accipit.

3. Quoties quis divinas tres virtutes *fidem*, *spem*, *caritatem* exercitat, indulgentiam 7 annorum et 7 quadragenarum accipit. Quod qui quotidie fecerit, is singulis mensibus, susceptis cum vera poenitentia sacramentis, si *ter Pater noster* etc. et *semel Credo in Deum* recitaverit, plenariam indulgentiam habet, quam etiam in mortuos transferri licet.

4. Qui cum pietate nomina Jesu et Mariae pronunciat, is 25 dierum indulgentiam, et qui hora mortis, is plenariam accipit.

5. Qui *litanias lauretanas* semel dicit, indulgentiam 300 dierum, qui quotidie, is quinque primariis festis Mariae plenam accipit.

6. Qui salutationem «*Angelus Domini*» saltem semel quotidie genibus flexis, in dominicis stans, vel tempore paschali «*Regina coeli*» pie recitat, is singulis mensibus plenam, et qui omnino semel, is indulgentiam 100 dierum acquirit.

7. Quoties vel hymnum «*veni creator spiritus*» vel sequentiam «*veni sancte spiritus*» recitas, indulgentiam 100 dierum lucraris, quod quum festo vel per octavam pentocostes feceris, 300 dierum, quum vero quotidie, semel singulis mensibus plenariam indulgentiam habebis.

8. Qui sex continuis dominicis in honorem s. *Aloysii de Gonzaga* sacramenta receperit et pro salute ecclesiae Deum rogaverit, is, auctore Papa Clemente XII, quaque dominica unam plenariam indulgentiam lucratur.

Eodem modo etiam rosarium recitantibus multae indulgentiae conceduntur. Sed quid multa? Quotidie in precibus matutinis Deum ora, ut quas indulgentias per diem acquirere possis earum te participem faciat, etiamsi nescias.

Preces ad ss. communionem suscipiendam.

ANTE COMMUNIONEM

1. *Lauda Deum.*

Audivi vocem tuum, domine: venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Quid? tu inclinas te ad me, o sanctissime omnium; tu vis esse mecum, tu invitas ad convivium tuum; tu mihi dare vis coelestem illum cibum, panem angelorum, non alium sane, ac te ipsum, panem vivum, qui de coelo descendisti et das vitam mundo? Quam mirabiliter, quam liberaliter, quam placide, quam indulgenter habes nos, quibus temet ipsum in sacramento sumendum proponis! Agedum ergo, anima mea, gratias ago Deo, qui tam nobile munus tamque singulare solatium in hac lacrimarum valle tibi reliquerit.

2. *Extimesce Dei majestatem.*

Sed ego quid facturus sum? Egone ad tremendum illud convivium accedam? Terrent me, domine, delicta mea, et ne tam excelsa mysteria capiam, me repellit impura conscientia mea. Tuorum me provocat verborum dulcedo, sed rejicit me peccatorum meorum multitudo. Quis sum ego, domine, qui te audeam sumere? Mene ad te venire, qui nihil mihi conscius sum boni? Mene corpus tuum meo corde suscipere, qui voluntatem tuam, ab angelis et archangelis, a sanctis et justis cum summa reverentia cultam, toties tamque foede offendi?

3. *Dole peccata tua.*

Miserere mei peccatoris, domine, ignosce mihi! Quid possum facere, nisi peccata modeste confiteri, sincere lamentari, tuam misericordiam ardenter deprecari? Idcirco deprecor te, audi preces meas, mi Deus! Poenitet me peccatorum, noli ea unquam amplius committere, quin adeo defleo illa et quamdiu vivam, deflebo. Dimitte mihi igitur peccata mea propter nomen sanctum tuum. Ecce enim, me totum tuae misericordiae committo, penitus tuis me trado manibus. Tu quidquid a teneris annis ad hanc usque horam deliqui tua caritate, tanquam igne, incende et combure, ut omnes maculae deleantur meae, mundetur conscientia, gratia peccatis amissa restituatur, humilitas mea ad osculum pacis clementer recipiatur.

4. *Firmiter crede.*

Te in altaris sacramento cum carne et sanguine, cum divina humanaque natura vere praesentem firmiter credo et confiteor, mi Deus, summa veritas, creator omnium rerum, domine angelorum! Quidquid intelligere non valeo tibi Deo potentissimo, quia non me fallis, secure committo.

Etenim opera tua si humana ratione comprehenderentur qui essent mirabilia et ineffabilia dicenda? Quam infinita opera tua, domine, quam potens virtus tua! Dixisti enim, et facta sunt omnia, eaque sicuti tu jusseras fieri.

5. *Confidenter spera.*

Bonitate et misericordia tua, domine, fretus, accedo aegrotus ad medicum, esuriens et sitiens ad

fontem vitae, egenus ad regem coeli, servus ad dominum, spe orbatus ad meum dulcem consolatorem. Atque fore spero, ut sacramenti vi in me gratia conferatur, et in animo virtus amissa reparetur, et peccando deformata redeat pulcritudo, et corpus denique animusque sine macula conservetur.

6. *Arde Dei caritate.*

Praesta, o Jesu carissime, ut omnibus quae amaveram terrestribus despectis abhinc te solum prae omnibus diligam mihique viventi et morienti amicissimum retineam. Etenim sine te esse orco gravius est, esse tecum dulcis paradisus. O summe thesaure, finis bonorum omnium! O mi Deus, omnia mea! Intelligenti satis dictum est et saepe repetere jucundum amanti. Conflagrem tui amoris flamma, ut cum gaudio et exultatione tibi semper totus animus inhaereat. Amen.

7. *Desidera Deum tuum.*

Ecce, domine, in te est quod desiderare possim et debeam. Tu mea salus, spes, fortitudo, decus, gloria. Qua de caussa desidero, ut te nunc cum pietate et devotione suscipiam. Zacchaei enim modo te velim domum meam introducere, ut mihi quoque in numero filiorum recepto large benedicas. Animus meus corpus tuum concupiscit, se tibi conjungi vult. Noli faciem tuam a me avertere, noli tuam visitationem distrahere, consolationem tuam differre. Veni, domine, ad pauperculum servum et laetum redde eum! Satia me tua praesentia, quod dum factum non erit, nec plenum gaudium erit. Amen.

8. *Invoca Deum.*

O beatissima gratia, quae hominem pauperem virtutibus divitem facis, descende ad me; et, ne animus meus ob miseriam plane me deficiat, tuis me solatiis reple. Atque ut digne sacramento tuo appropinquem, tu me exorna iis quas requiris virtutibus, accende animum igne caritatis, omni tarditate et torpore exue, quidquid mihi deest supple. Fac, ut ego pauper mendicus in sacra communione saltem paululum illius quo sanctos tuos ad te rapis fervoris sentiam, ut fides convalescat, spes augeatur, caritas semel perfecte accensa et dulcedinem coelestem experta funditus te auhelet. Amen.

9. *Auxilium Mariae sanctorumque implora.*

Castissima virgo Maria! per integerrimam illam puritatem, qua filio Dei in utero tuo suavissimam habitationem praeparasti, te rogo, ut tuis precibus ab omnibus maculis munder.

Humillima virgo, per summam illam humilitatem, qua supra omnes ordines angelorum constitui meruisti, te invoca, ut tuis precibus mea inopia suppleatur.

Virgo Maria, summopere amabilis! per singularem illam caritatem, qua sanctus animus tuus artissime Deo jungebatur, tibi supplico, ut copia requisitorum meritorum mihi praestetur.

Succurrite mihi, quaeso, precibus vestris vos quoque, angeli, sancti et sanctae Dei, in primis vos, patroni mei N. N., ut, sanctissimo sacramento cum viva fide, secura spe, ardenti caritate suscepto, dignus existam, qui vestrae aliquando socier consortioni. Amen.

Jamjam corpus domini sumturus, has funde preces:

Venit dominus tuus, anima mea, agedum, procide coram illo!

Appropinquat medicus tuus, cum laetitia excipe eum!

Adest salus, gaudium, suavitas hominum, amicus tuus, exulta in eo.

Ecce sponsus tuus, anima mea, curre, festina, noli tardare, complectere eum!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei! Amen.

---

† *Oratio sancti Ambrosii.*

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda majestas, ego miser, inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo salvatorem habere suspiro. Tibi, domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, domine Jesu Christe, rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem! Exaudi me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui

fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata! Salve nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi domini mei Jesu Christi profluens et peccata totius mundi abluens! Recordare domine creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me pecasse, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo a me, clementissime pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear sancta sanctorum; et concede, ut sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio ac bonorum sensuum regeneratio operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

---

† *Oratio s. Thomae Aquinatis.*

Omnipotens, sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti filii tui, domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut panem angelorum, regem regum et dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide,

tah proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti filii tui domini nostri Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime pater, concede mihi dilectum filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari: qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Post communionem.

Quum ss. corpus domini sumsisti, ad locum tuum reversus noli statim ex libro preces legere, sed aliquantum temporis ex intimo animo praedica et adora Jesum in te habitantem.

1. *Saluta Jesum Christum.*

O sponse dilecte, ex omnibus electe, in quo placet animae habitare omnibus diebus vitae meae! O rex pacifice, in quo pax summa, requies vera! O Deus abscondite, qui loqueris cum humilibus! Vere ineffabilis gratia tua, vere admirabilis humanitas tua! O immensum amorem animae meae singulariter impensum! Quanta est dulcedo, o Jesu, in convivio tuo! Quam dulce mihi foret, coram te praesente, ex intimo animo lacrimis fusis, piae Magdalenae exemplo pedes tuos irrigare. Certe in conspectu tuo omnis animus meus ardere debet et gau-

dio elatus jucundissime flere. Quam magnum suscepi dominum! Quam dilectum introduxi hospitem! Quam jucundum recepi socium! Quam fidelem conciliavi amicum! Quam speciosum eundemque nobilem amplector sponsum! Maneas in secreto, anima mea, fruere Deo tuo, quippe quae eum habeas, quem totus mundus tibi auferre non potest.

2. *Lauda Jesum Christum.*

Laudent te, dulcissime Jesu, universi populi, nationes et linguae, atque sanctissimum idemque suavissimum nomen tuum summa exultatione praedicent. Quidcunque sanctissimi homines ad te sursum rapti tuam magnificentiam extulerunt, quidcunque beatissimi gaudii ex te perceperunt, quidcunque omnes coelestis patriae habitatores te unquam praedicavere: id tibi soli offero cum omnibus laudibus terrestribus et coelestibus, quae tibi adhuc persolvuntur. Quoniam vero equidem satis te, domine, in aeternum nequeo laudibus efferre, saltem voluntatem immensae laudationis accipe. Singulis diebus, immo nullo temporis puncto intermisso te laudare velim.

3. *Gratias age et temetipsum offer.*

Quantas tibi, optime Jesu, debeo gratias, suscepto sacrosancto corpore tuo, cujus dignitatem nullus homo explicare potest! Gratias tibi ago, pastor aeterne, qui me ovem perditam non reliquisti. Gratias tibi ago, fraterne amice, qui me exulem et pauperem pretioso corpore et sanguine tuo refecisti. Qua tandem re remunerer tantam gratiam, tantam caritatem? Atqui nihil habeo, nisi cor meum. Ac-

cipe id totum, domine; tuum esto in aeternum. Volo manere tecum, utinam tu quoque manere velis mecum! Id solum cupio, anquiro, desidero.

Sicut igitur tu, domine, temetipsum extensis in cruce manibus et nudo corpore Deo patri pro meis peccatis tam funditus sacrificasti, ut plane nihil tuum remaneret; ita ego quoque me ipsum tibi cum omnibus quas habeo viribus et affectibus quam possum libentissime offero. Et cum simplicitate te rogo, ut me accipias servum sempiternum, qui omnia in tuam sempiternam laudem faciat, omnia toleret. Quo libentius vero me accipias, tibi ipsum corpus tuum, quod modo mihi dedisti, una mecum offero pro me et universo populo tuo. Amen.

4. *Pete a Deo bona tibi et aliis.*

O suavissime meique amantissime Jesu! ecce sto coram te pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Accende igitur frigus meum igne caritatis tuae, omnia terrestria mihi fac amara, omnia creata contemtione digna et oblivione. Nam tu solus abhinc mihi dulcis esto usque in aeternum. Utinam prorsus ex praesentia tua accendar et in te transmuter!

Praesertim vero te precor, ut contra hoc peccatum N., quod saepissime committo, auxilium praestes et hac virtute N., cujus maxime indigeo, me ornes. Serva quam tuo sanguine redemisti animam meam, et fac, ut, quo saepius frequentem mysteria tua, eo magis erga te ardeam pietate, o amor voluntatem inflammans, intelligentiam illuminans!

Intuere quoque, benignissime Jesu, desideria pia-

rum omnium animarum, necessitates parentium, amicorum, omnium mihi carorum, sive adhuc vivunt, sive defuncti sunt. Eripe nos ex omnibus malis, ut rebus adversis liberati magnificas tibi laeti agamus gratias. Etiam illis a te peto salutem, qui me aliqua re laeserunt, vel vituperaverunt, vel damnum intulerunt. Indulgens nobis mutuas offensiones fac, ut animis reconciliatis uno nos omnes caritatis vinculo cingamur. Amen.

5. *Commenda te Mariae ac sanctis.*

Commendo me tibi, clarissima virgo, mater salutis, genetrix vitae, coeli terraeque regina, quae tuis sanctissimis visceribus eundem dominum, quem ego modo sumsi, de spiritu sancto conceptum digne portasti. Itaque te precor, ut pro me apud eundem filium tuum intercedas et quidquid qualibet ratione in accipiendo coelesti cibo deliqui, ejus negligentiae et indignitatis meae veniam mihi impetres. Utinam quemadmodum tu, quae semper fueras casta, pura et sancta, concepto filio tuo etiam castior, purior, sanctior evasisti, ita etiam ego nunc post sumtum ejusdem domini corpus tam reddar sanctus, ut nunquam amplius graviter peccem. Tu, quae concepto filio magnificas Deo cantasti laudes, fac, ut et ego a pia gratiarum actione nunquam desistam.

Felices sancti, qui quasi emensi hoc mortalis vitae mare ad portum quietis appulistis, favete meae multiplici miseriae. Date manus infirmo, erigite jacentem, corroborate imbellem. Circumdate me vestra felicitate, impetrate mihi imitandarum virtutum vestrarum gratiam, ut vestrae particeps fiam coronae. Amen.

6. *Conclusio.*

Nunc dimittis servum tuum, domine, secundum verbum tuum cum pace, quia viderunt oculi mei salutem tuam, quam nobis benignissime parasti. Tu vero mane in me, optime Jesu, repelle a me tentationes, dirige pedes meos, ut recta via ad te perveniam. Amen.

Laudetur Jesus Christus in saecula! Amen.

---

† ORATIO S. THOMAE AQUINATIS.

Gratias tibi ago, domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine filii tui, domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumque virtutum augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio, motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium, perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum filio tuo et spiritu sancto sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta: per eundem Christum etc.

---

† ORATIO SANCTI BONAVENTURAE.

Transfige, dulcissime domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis: te, in quem desiderant angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae: te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem: et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus in quo fixa et firma, et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

Aliae preces ad ss. communionem suscipiendam.

ANTE COMMUNIONEM

1. *lauda Deum.*

O beatum qui hodie mihi illuxit diem! Etenim hodie me ad sacram mensam invitas, o Jesu suavissime, hominibus amicissime! Sexcenties ex intimo animo illam immensam liberalitatem admiror, qua etiam pauperes et mendicos ad convivium regium adsciscas. Quamobrem, licet indignus sim, tamen confidenter tibi appropinquans sacrum tuum corpus sumam in honorem Dei patris, in memoriam passionis tuae, in salutem animae meae.

2. *Deplora peccata.*

Quanta puritate ad sumendum illum angelorum cibum accedi debet! Atqui ego — purusne sum? An mundatus poenitentiae doloribus? Ignosce, domine, propitius esto mihi peccatori! Poenitet me vehementer, quod peccavi, volo emendare quod feci. Aufer ergo a me omnia peccata, ut puro animo et corpore ad sacra tua accedam.

3. *Crede, spera, dilige.*

Domine Jesu Christe, qui quondam: «caro mea vere est cibus, dixisti, et sanguis meus vere est potus,» constanter te filium Dei credo carnem esse factum et in hoc sacramento vere praesentem reddi. Auge meam fidem!

In te solo spem meam posui, o dulcissime Jesu! Tu enim es salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei, serva ve, qui tibi confidentes nunquam deseris. Confirma spem meam!

O quanta nostri flagrabas caritate, Christe Jesu, qui rediturus ex hoc mundo ad patrem nobis mensam parasti plenam oblectamentorum, refertam dulcedine ac suavitate! Ob eam ingentem benignitatem amo te, mi Deus; qui amor ne unquam extenuetur a te ipso, quaeso, inflammetur, qui fons et augmentum amoris es.

4. *Desidera Deum tuum.*

Quemadmodum cervus fontem aquae, ita animus meus te Deum desiderat. Sitio te fortem, vivum: quando veniam et apparebo ante faciem tuam? Trade te mihi, et sufficit, quoniam sine te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, qui solis instar omnium animos collustras et calefacis; sine tua visitatione vivere non valeo. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignos datur!

5. *Deum auxilium roga.*

Spiritus sancte Deus, fons gratiae, curator animorum, universae dux ecclesiae! Animum meum tuo adventu illumina et ad corpus domini digne suscipiendum praepara: quidquid tibi, patri et filio displicet, id auferas, tuorum pretiosissimas infundas virtutes donorum, ut tota mea natura, in divinam voluntatem commutata, prorsus sancta appareat.

Animum meum, o Jesu, omni terrestrium rerum amore exstincto, tuae caritatis igne penitus inflamma, ut nihil in mundo nisi tu mihi placeat. Amen.

6. *Implora ecclesiam coelestem.*

Per te accessum habeamus ad filium, castissima virgo Maria, inventrix gratiae, genetrix vitae, mater salutis, et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam grata, nostrae veniam impetret vanitati ac superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas tua praeclarissima fecunditatem in nos conferat meritorum. O domina nostra, conciliatrix nostra, patrona nostra! Tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repraesenta! Fac, o praeclara, per gratiam, quam invenisti, per jus praecipuum, quod meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui ex te fieri particeps voluit nostrae infirmitatis et miseriae, te quoque intercedente, participes nos faciat gloriae ac regni sui: Jesus Christus, filius tuus, dominus noster, qui est supra omnia Deus laudatus in saecula. Amen. *Secundum s. Bernardum.*

Intercedite etiam vos pro me, coelestis patriae incolae, succurrite infirmitati meae, fidem meam et spem corroborate, inflammate caritatem, atque, ut divinae sanctitati acceptus sim, induite me veste nuptiali. Amen.

O salutaris hostia,
Quae coeli pandis ostium;

Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium!

S. Thomas Aquinas.

POST COMMUNIONEM.

O Deus, ego amo te,
Nam prior tu amasti me,
En libertate privo me,
Ut sponte vinctus sequar te.

Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria,
Nil intellectus sapiat,
Praeterquam ut te capiat.

Protestor, nihil velle me,
Nisi quod sciam velle te;
Quae dono tuo mea sunt,
Haec dono meo tua sunt.

A te accepi, recipe,
Quid iis velis, praecipe;
Guberna, sicut scis et vis,
Nam scio, quod amator sis.

Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te:
Haec dando dabis omnia,
Nam cetera sunt somnia. Amen.

S. Ignatius.

ALTERUM CARMEN.

O Deus, ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.

Tu, tu mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce;
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam, —

Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem et haec propter me,
Ac pro me peccatore.

Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime?
Non, ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me,

Nec praemii ullius spe,
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum quia Rex meus es.

S. Francisc. Xav.

Jam habeo te Deum, qui habes omnia; possideo te, qui potes et possides omnia; meo corde te teneo, quem universus mundus non comprehendit. Inveni te, quem diligit anima mea; retinebo te neque

unquam dimittam. Abstrahe ergo mentem meam ab omnibus, quae sunt extra te, in quibus nihil nisi vanitas et tristitia. In te uno figatur ingenium meum, in te sit requies mea, ubi est summa veritas, vera felicitas, felix aeternitas.

Te sponsum animae cum flagrantissima caritate amplector, tecum me aeterno amore copulor. Fac, o Jesu, ut totam dulcedinem praesentiae tuae sentiam; fac, ut, semel percepta suavitate tua, terrestres voluptates despiciam, neve quidquam ullo tempore quaeram, nisi quod sit in te. Tu es medicus meus, medere morbis meis; tu es pastor meus, suscipe ovem perditam humeris tuis; tu ignis semper ardens, expelle omne gelu ex animo meo, tuo me accende igni: tu es lux vera; illumina meas tenebras; tu rex coeli et terrae, locupleta me pauperem dohis tuis; tu es agnus Dei, qui tollit peccata mundi, tolle a me quod tibi displicet. O utinam te amplexans amore tui moriar, qui mei amore voluisti in cruce mori! Amen.

Gratias age.

Venite, approperate angeli et archangeli, omnes sancti patriarchae et apostoli, martyres et confessores, virgines et viduae, omnes sancti et sanctae Dei! Laudemus, praedicemus, efferamus triumphali carmine divinam illam bonitatem, quam hodie Deus clementissimus mihi praestitit! Offero tibi, optime Deus, in gratiarum actionem omnes quas tibi laudes persolvit sanctissimus filius tuus, quum tota sua vita, tum illo temporis puncto, quo ss. sacramentum

instituturus oculis in coelum erectis nostro omnium nomine tibi gratias egit.

Offero hanc communionem sanctissimae trinitati, ut sit ipsi summo honori, humanitati crucifixi domini mei Jesu Christi debitae laudi, beatae virgini praedicationi, universo denique orbi terrarum saluti. Amen.

Pete a Jesu dona tibi et aliis.

Sum quidem nunc tecum junctus, bone Jesu, sed qua sum fragilitate timeo, ne peccando te unquam amissurus sim. Qua de caussa patriarchae Jacobi exemplo te artissime complectens non dimittam, antequam mihi large benedixeris. Fac ergo, ut leonis instar fortis a sacra coena recedam. Noli me derelinquere! Adsit mihi potentissimum auxilium tuum in omnibus tentationibus. Qui te ipsum dedisti, quid mihi negabis? Nam tecum ipso immensam multitudinem, quasi mare gratiae accepi. Defende me igitur ab infernarum potestatum tentationibus, ab illecebris mundi, a stimulis carnis. Tui amore accensus omnia faciam, omnia tolerem, tuum sanctissimum nomen pronuncians aliquando beatus ad te transeam.

Obsecro te, dulcissime Jesu Christe, ut perpessiones tuae mihi sint virtuti, qua muniar, protegar atque defendar. Vulnera tua sint mihi loco cibi et potus, quibus pascar, inebrier atque delecter. Sanguinis tui effusio sit mihi ablutioni omnium peccatorum. Mors tua proferat mihi gloriam et vitam sempiternam. Amen.

Mundet, quaeso, misericors Deus, me omnesque, quos precibus meis commendatos habeo, corpus tuum sacrosanctum, quod sumsi. Inde proveniat nobis ablutio scelerum, in fragilitate fortitudo, contra omnia mundi pericula firmamentum. Sit denique omnibus, vivis ac defunctis, remissioni omnium delictorum: qui vivis et regnas in sempiterna saecula. Amen.

Invoca ecclesiam triumphantem.

Sancta Maria, de qua idem quem ego modo accepi Jesus Christus carnem sumserat, suppleas, quaeso, meritorum tuorum abundantia defectus meae negligentiae, praesertim in suscipiendo s. sacramento commissos.

Omnes sancti et sanctae Dei, stipatum me suffragiis vestris ad patriam nostram securum perducere velitis. Amen.

---

† ORATIO

ante imaginem crucifixi dicenda cum plena indulgentia.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me pervolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram erratorum meorum poenitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero et mente contemplor, quod jam in ore ponebat suo David propheta: «Foderunt manus

meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.»

ORATIO

ad obtinendam castitatem post comm. valde commendanda est.

O panis electorum idemque germinans virgines, Jesu Christe, rex virginum, amator castitatis! Exstingue coelesti gratia tua, tanquam rore divino, faces libidinum in animo et corpore meo, ut maneat in me perpetuitas integritatis et castitatis. Qui me modo tuo sancto spiritu inebriasti, ne me sinas unquam foedissimo isto vitio impuritatis coinquinari. Te adjutore faciam foedus cum oculis meis, ne vane circumferantur, cum mente, ne cogitem quidem de virgine. Sancta Maria, mater purissima, intercede pro me! Sancte Aloysi, exemplum castitatis, ora pro me! Amen.

SEPTEM DIVINI AMORIS MEDITATIONES,

mutatis nonnullis rebus ex Joanne Lanspergio sumtae.

I.

Mi Deus, summa pulchritudo, satietas animi! num amanti non sufficis? Quid extra te vagamur? Quid aliud quaerimus? quid aliud desideramus? Vulnera, agedum, animum meum, quasi jaculo, amore tuo; imple omnia desideria mea, ut nihil me extra te delectet, nihil commoveat, ut te solum in omnibus creatis rebus videam, te solum in omnibus diligam,

te flagrantissimis desideriis semper anhelem et castissimo amore te solum omni temporis puncto cogitem. Incende, domine Jesu, animum meum tui amore sanctissimo et fidelissimo. Utinam amore tui ardeam! Utinam amore tui langueam! Da mihi, Jesu nostri amantissime, da mihi continuum tui amoris incendium, trahe me post te, curram neque deficiam.

Quemadmodum desiderat cervus fontes aquarum, ita, quaeso, sitiat anima mea te, mi Deus! Da mihi, benignissime Jesu, insatiabile et immensum desiderium tui, quod nulla re creata satiari possit. Domine Jesu Christe, amoris plene, sponse ab anima mea electe, per cor tuum lancea transfixum et amore vulneratum te obsecro, me quoque tui amore tam ardenter inflammes, ut te ex intimo animo cum pleno desiderio et perfecta voluntate diligam, amem, in omnibus ad te nitar. Omnes sensus, domine, mi Deus, tanto opere in te convertam et intendam, ut intelligentiam et memoriam in te solo et in tuo amore occupem, et tibi soli adhaeream. Diligam te, domine, ut tu solus me possideas, ut tu solus me totum absumas et in te transformes.

II.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, tribue, ut toto animo, perfecto desiderio, cum summa cupiditate ad te aspirem, in te dulcissimo atque suavissimo respirem, tota denique mente, toto ingenio omnibusque viribus te, qui es verae fons felicitatis, semper anhelem. Omnia creata mihi abhinc vilescant, neque ulla res aut me afficiat aut mihi placeat, nisi tu.

Vulnera et accende, dulcis Jesu, cor meum tui amore castissimo. Ad te attrahe omnia desideria mea, ut te solum animus esuriat, te sitiat, te concupiscat, ad te sine intermissione suspiret, ad te festinet, tuique denique amore languens, omnia terrestria fastidiat. Dulcis Jesu, imple voluntatem meam castissimis desideriis, quibus tui semper amore ardeam teque cogitans praeter te aliud nesciam. O utinam tu solus mihi dulcescas, tu solus mihi placeas, suavissime Jesu! Heu domine Deus, quando perfecte diligam te? Quando te animo meo tanquam brachiis jucunde constringam? Quando te amplexabuntur omnia quae habeo desideria? O domine Deus, utinam tui amore repletus me ipsum et universum mundum contemnam! Utinam animus meus tui amore liquefiat, tecum rapiatur, a te absorbeatur!

III.

Dulcis Jesu, da mihi tui possessionem, quae sunt verae divitiae; fac, ut sim pauper spiritu, ne quaeram aliud, nisi te, o adorande, colende, metuende, potentissime sempiterne Deus, amator ardentissime, idemque fidelissime! O quando, quando redamabo te? Quando me totum exhibebo, totus in te introibo? Utinam me ipsum prorsus relinquam, me totum in te effundam! Excita animum meum, domine, ut requiram te; illumina rationem meam, ut inveniam te; posside meam voluntatem, ut requiescens in te obliviscar omnia, quae sunt extra te.

IV.

Nobilissime Jesu, quam pulcher, quam amabilis, quam speciosus, quam suavis es tu! beati omnes

qui diligunt te! Benignissime, amore dignissime Jesu, animi mei thesaure et unicum gaudium, fac, ut funditus me ipsum relinquam, quo flagrantioribus desideriis ad te semper aspirem. O lumen verum! o vita non deficiens, amor semper ardens! Fac, ut mundo et carni perfecte moriar atque res omnes terrestres funditus oblitus neque gaudeam, neque doleam, neque quidquam nisi te sentiam. Summe, potentissime, pulcherrime, nobilissime, dulcissime, benignissime, amabilissime, desideriis dignissime, suavissime domine! fac tibi animum meum secundum voluntatem tuam, ut maneas semper mecum. Suscipe me tibi et da te mihi. Fac, ut aeternis tecum amoris colliger vinculis, quae neque morte possint neque vita dissolvi. Fac, ut cognoscam vilitatem meam et majestatem tuam, unde crescat profundissima humilitas, unde accendatur perfecta caritas. Clementissime Jesu! cum tu nihil imperes, neque ego aliud desiderem, nisi ut te diligam ex toto animo meo tibique placeam in omnibus super omnia: heu! cur hoc in me nondum impleatur? Jesu plene amoris! ego nihil boni non modo agere, sed ne desiderare quidem possum, nisi quod tua gratia agendum et desiderandum fuerit inspiratum. Quod ergo praecipis, quod laudas, id infunde mihi, ut velim et perficiam.

V.

Domine Jesu Christe! ostende virtutem et potentiam tuam in me miserrimum peccatorem; ostende bonitatem tuam mea malitia majorem; fac, ut qui adhuc a te totus aversus et frigidus fueram, nunc

prorsus ad te eonvertar et tui amoris flamma accensus in te transmuter. Mi Deus, mi creator! Quousque non cognosco te? Quamdiu latentem non investigo te? Quamdiu vel praesentem non invenio te? Quamdiu salutem unicam non requiro te? Ergo amantissime, fidelissime amice, qui cum non essem, diligebas me, et ut essem fecisti me, tribue mihi, ut te desiderem, te sitiam, te quaeram, amore deniqur accensus praeter te fastidiam omnia!

VI.

Praesta mihi, optime domiue, Jesu Christe! ut summa animi concitatione te diligam. O fidelissime amator, Jesu Christe, fac, ut sentiam, quam immensa caritate nos èt dilexeris et diligas. Quam libenter te amarem, dulcissime Jesu Christe! Et quia ut hoc vellem tu effecisti, tribue ergo, ut ex toto te diligam animo, nam sine te nihil possum. Ignosce meaé miseriae ac temeritati, suavissime Jesu, dona quae peto, et da quod rogo, videlicet ut castissimo ardentissimoque tui amore inflammer, tecum rapiar, a te absorbear, omnia nisi te obliviscar. Amator mei, da ut moriar amore tui!

VII.

O Jesu, qui es summo amore dignus! Da mihi amorem tui fidelissimum, qui te continuo sentiat, laudet, tibi gratias agat, obediat, se totum impendat, tuum honorem ardenter sitiat. O Jesu, pro me crucifixe! Trausforma me, quaeso, in te; fac, ut amore tanquam clavis sim semper tecum crucifixus. O quando videbo faciem tuam mea facie! Utinam

incendio amoris tui comburar! o tribue, ut sine te vivere nequeam, tui amore langueam! Sic perfecta tui caritate semper ardeam, ut ad humilitatem meam simul animum adtendere non desinam. Ego peccator sum, tu mihi es omnia; tuis manibus commendo animum et omnia mea. Amen.

VISITATIO SACRAMENTI,
vel coram exposito sacram.

Carmen sacrum.

Pange lingua gloriosi
  Corporis mysterium
Sanguinisque pretiosi,
  Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi,
  Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
  Ex intacta virgine,
Et in mundo conversatus,
  Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
  Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
  Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
  Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
  Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
  Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum;
  Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
  Sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
  Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
  Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
  Sensuum defectui.

Genitori genitoque
  Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
  Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
  Compar sit laudatio. Amen.

S. Thomas Aquinas.

Salve nobilissimum corpus et pretiosissime sanguis domini mei Jesu Christi, sub hac panis specie vere praesentis! Te adoro eadem servitute et devotione, qua novem ordines angelorum te venerantur et colunt. Coram te cum humilitate procidens te Dominum ac Deum meum vere hic latentem credo et profiteor.

Salve nobilissimum corpus servatoris mei Jesu Christi, vera hostia in cruce immolata! Adoro te eadem veneratione, qua humana natura tua adoravit

divinam, et universum orbem terrarum mihi conjungi ad gratias tibi agendas velim, quia hic pro salute nostra latere voluisti.

Salve clementissime Jesu, verbum patris, splendor gloriae, fons lenitatis, salus mundi, sacra hostia! Ave Jesn Christe, princeps pacis, janua coeli, panis vive, virginis fili, vas divinitatis!

Firmissime te Deum meum credo hic praesentem, ex sacramento ad me respicientem, intimas cogitationes et affectus animi haud ignorantem. Profiteor viva fide, sub hac panis specie non solum carnem, sed etiam sanguinem, non solum humanitatem, sed etiam divinitatem contineri. Quae licet nequeam intelligcre, tamen adeo credo, ut etiam ad sanguinem pro ea veritate profundendum paratus sim.

Coram te, Jesu Christe in sacramento praesens, cum summa verecundia procido una cum angelis et archangelis, cumque omni coelesti exercitu. Tuae gloriae aeternum carmen concinam: Sexcenties et in sempiternum laudetur ss. sacramentum!

Gratias tibi ago, sacrosancta trinitas, summo omnium honore, summa laude omnium dignissima, quod ad reconciliandos cum Deo homines et ad illos immensis gratiis perpetuo implendos, hoc infiniti pretii sacramentum institui voluisti.

Summis laudibus effero sapientiam et benignitatem potentiae tuae, benedico et gratias ago infinitae caritati tuae, Jesu Christe, quod subsidio nostrae salutis instituere voluisti hoc magnificentissimum sacramentum.

O unica et vera fiducia animae meae, Christe Jesu! Te laudo, te amo, te colo, te adoro; te hu-

militer deprecor, ut teipsum sicut in cruce olim pro universo mundo obtulisti sic nunc pro me offeras Deo patri in remissionem peccatorum meorum.

O Christe Jesu, mi dulcis et unice amor! Oculis clementissimae misericordiae tuae respice ad me homuncionem abjectum, a te cum humilitate scelerum veniam petentem.

O flos nobilissime ex radice Jesse, fili patronae meae mitissimae! Recipe me in sanctissimum cor tuum, fontem gratiarum, militis lancea nobis apertum.

Pater summae gloriae! Offero tibi hunc dilectum filium perpetuo sacrificio tui honoris et peccatorum meorum aeterno piaculo. In faciem igitur Christi respiciens reminiscerc illam copiosam satisfactionem, quam tibi in cruce pendens pro nobis reddidit. Miserere nostri!

Abscondas me, optime Jesu, intra suavissimum cor tuum, neve in aeternum a te separari me sinas. Sis mihi viventi solatio, morienti viatico, defuncto mihi praemio. Id te rogo pro me et amicis per sanguinem et lacrimas, quae pro nobis effudisti.

Benedic mihi, domine Jesu, cum patre et sancto spiritu, uberrimamque largire gratiam amplectendi semper et in omnibus, nunc et hora mortis, tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

LITANIAE SS. SACRAMENTI.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.

Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, miserere nostri.
Fili, salus mundi, Deus,
Spiritus sancte, Deus,
Sancta trinitas, unus Deus,
Panis vive, qui de coelo descendisti,
Deus abscondite et servator,
Frumentum electorum,
Vinum generans virgines,
Panis plene virium et deliciae regum,
Juge sacrificium,
Oblatio munda,
Agne non coinquinate,
Mensa purissima,
Angelorum cibe,
Manna absconditum,
Memoria miraculorum Dei,
Panis divine,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerandum Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Vera expiatio vivorum et defuntorum,
Coeleste remedium peccatorum,
Incredibile miraculum,
Sacra perpessionum Jesu memoria,
Donum omnem intellectum superans,
Praecipuum monumentum divini amoris,

Miserere nostri.

Divinae abundantia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
Fons immortalitatis,
Tremendum et vividum sacramentum,
Panis summa verbi potentia caro facte,
Sacrificium non cruentum,
Cibe et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum caritatis,
Sacerdos et hostia,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum pie morientium,
Pignus futurae gloriae,

Miserere nostri.

Propitius esto: parce nobis, domine.
Propitius esto: Audi nos, domine.
Ab indigna ss. Sacramenti sumtione, libera nos, domine.
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud cum discipulis hoc pascha edendi,
Per summam illam qua discipulorum pedes lavasti humilitatem,
Per ardentissimam illam hoc divinum sacramentum instituendi caritatem,
Per sanguinem pretiosum in altari nobis relictam,
Per quinque vulnera hujus corporis tui pro nobis suscepta,

Libera nos, domine.

Peccatores: te rogamus, audi nos.
Ut nobis pargas,
Ut nobis indulgeas,
Ut nobis fidem ac devotionem summi hujus sacramenti augere, auctum conservare velis,
Ut ad frequentem sacramentorum usum nos perducere velis,
Ut nos omni errore fidei liberare velis,
Ut hora mortis nos hoc coelesti viatico munire velis,
Ut nos audire velis,
Fili Dei,
} Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis, domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; audi nos, domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nostri.

Christe audi nos,
Christe exaudi nos.
Kyrie eleïson,
Christe eleïson,
Kyrie eleïson. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sacramento mirabili mortis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria veneremur,

ut salutis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus: qui vivis et regnas in saecula. Amen.

RESTITUTIO INJURIARUM,

quibus dominus in ss. sacramento afficitur.

O Jesu patientissime. qui innumerabilibus in sacrosancto sacramento tuo afficeris contumeliis, doleo et detestor ex toto animo omnes illas tibi a peccatoribus illatas injurias. Obsecro te per ineffabilem sanctissimi cordis tui caritatem, ut ipse pro illis patri tuo optimo maximo satisfacias. In me ipso vero ignem accende flagrantissimi tuarum partium studii, ut et commissa sacrilegia plangere et quae committi possint avertere valeam. Amen.



PARS QUARTA.

Carmina sacra et preces in festis domini adhibenda.

TEMPORE ADVENTUS.

Carmen sacrum.

En clara vox redarguit
Obscura quaeque personans;
Procul fugentur somnia:
Ab alto Jesus promicat.

Mens jam resurgat torpida,
Non amplius jacens humi;
Sidus refulget jam novum,
Ut tollat omne noxium.

En agnus ad nos mittitur,
Laxare gratis debitum:
Omnes simul cum lacrimis
Precemur indulgentiam.

Ut cum secundo fulserit,
Metuque mundum cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo patri cum filio
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Incogniti auctoris.

Domine Deus, qui per s. apostolum tuum nos admones, tempus jam esse de somno peccatorum surgendi, veni cum potentia, ut ab imminentibus peccatorum periculis, te protegente, eripiar, te liberante, server. Jamjam enim prope est sacra illa nox, qua Jesu Christi, per quattuor milia annorum a patribus exspectati, recolitur nativitas. Quam quo puriore sanctioreque animo celebrem, tu ipse me praepara, videlicet poenitentiam excita, peccata dimitte, mentis meae tenebras gratia tuae visitationis illustra, omnia denique bona, quae quominus accipiam sceleribus impedior, indulgentiae tuae clementia acceleres: per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

NATIVITATE DOMINI ET PROXIMIS FESTIS.

Carmen sacrum.

Altitudo, quid hic jaces
  In tam vili stabulo?
Qui creasti coeli faces,
  Alges in praesepio?
O quam mira perpetrasti,
  Jesu, propter hominem,
Tam ardenter quem amasti
  Paradisi exulem!

Fortitudo infirmatur,
  Parva fit immensitas;
Liberator alligatur,
  Nascitur aeternitas.
O quam mira perpetrasti,
  Jesu, propter hominem,
Tam ardenter quem amasti
  Paradisi exulem!

Premis ubera labellis,
  Sed intactae virginis;
Ploras vividis ocellis,
  Coelum replens gaudiis.
O quam mira perpetrasti,
  Jesu, propter hominem,
Tam ardenter quem amasti
  Paradisi exulem.

Incogniti auctoris.

Jesu Christe, fili Dei vivi, qui ante omnia tempora, ex aeterno, a Patre genitus, tempore certo exacto ex matre prodire voluisti, quique denuo in uniuscujusque christiani animo vis renasci: tribue mihi, quaeso, ut tua mysteria firmiter credam, lumine tuo, quod hodie in mundo apparuit, perfundar, in tuam denique penitus naturam transmuter, ne amplius ego vivam, sed tu in me. Amen.

Aliud carmen sacrum.

Parvum quando cerno Deum
  Matris inter brachia,

Colliquescit pectus meum
Inter mille gaudia.

Gestit puer, gestit videns
Tua, mater, viscera,
Puer ille dum subridens
Mille figit oscula.

Puro qualis in lucenti
Sol renitet aethere,
Talis puer in lactanti
Matris haeret ubere.

Talis mater speciosa
Eminet cum filio,
Qualis ros in molli rosa,
Viola cum lilio.

Inter sese tot amores,
Tot alternant spicula,
Quot in pratis fulgent flores,
Quot in coelo sidera.

O! ut una ex sagittis
Dulcis o puerule!
Quas in matris pectus mittis,
Cadat in me, Jesule!

Accedo, mi Jesu, cum verecundia et humilitate ad praesepe, ubi mea caussa parvulus factus jaces. O Deum admirabilem, qui splendorem divinae maje-

statis nostra carne cooperuerit, quo confidentiores ad ipsum adcamus! O admirabilem benignitatem, summa adoratione dignam, quae Deum verum, ut perditos homines liberaret, ad sumendam nostram naturam commoverit! Laudate dominum, omnes populi, a solis ortu usque ad occasum. Etenim apparuit nobis gratia salutis nostrae, Jesu Christi, cui gloria, laus, honor, praedicatio ab universo mundo per omnem aeternitatem. Amen.

Tribue nobis, divine infans, intercedentibus sancta eademque castissima virgine, matre Maria, et sancto Josepho, concede nobis omnes illas quas in te ex praesepi lucentes videmus virtutes. Redde me, obsecro, carissime filiole, redde me humilem, pauperem spiritu, clementem, mansuetum, atque, sicut tu ad nostram descendisti vilitatem, ita me ad tuam efferas majestatem, ut tecum perpetuo gaudeam. Amen.

FINE ANNI.

Respice clementer ad me, rex temporum et aeternitatis, ante tuam majestatem prostratum. Nam quot et quanta tibi debeo dona! Tu me creasti, sanguine Jesu, filii tui, acceptum tibi reddidisti, in vera ecclesia tua constituisti. Quot vero hoc anno mihi largitus es munera, quot a me avertisti pericula! Tu me cum patientia ad hunc usque diem leniter et comiter toleravisti. Lauda igitur, agedum, mi anime, Deum ac dominum tuum, quo nemo est major, nemo melior, nemo benignior. Immortales tibi gratias ago pro omnibus rebus hoc anno mihi donatis,

Sed eheu me miserum! Si nunc me ex hac vita evoces, quae erit mea sors? Etenim quam negligenter tibi servivi, quot peccata commisi, quoties, boni operis occasione neglecta, huic terrae quam aeternitati meae malui prospicere! Atqui, te adjutore, nunc melior existere firmissime mihi propono. Tribue poenitenti filio tuo, qui eo nomine non amplius est dignus, indulgentiam et remissionem omnium peccatorum, elapsaque hac brevi aetate ad tua gaudia me sinas pervenire, ubi neque amplius est periculum peccandi neque vicissitudo temporis, sed tu ipse eris merces nostra nimis magna. Amen.

FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Domine Jesu Christe, qui hodie circumcisus primo voluisti pro nostra salute sanguinem effundere, tolle de me, quaeso, vanas immundasque cogitationes, malas cupiditates et quidquid tibi, patri et spiritui sancto displicet. Et si quando, quod absit, peccando lapsus fuerim, auxiliare mihi, ut in sacro poenitentiae tribunali me extemplo purgandum curem. Omnino vero in dies sanctior existam, ne mihi, si currente hoc anno ad te arcessar, sit tremendum. Amen.

EPIPHANIA DOMINI.

Carmen sacrum.

Crudelis Herodes, Deum
Regem venire quid times?
Non eripit mortalia
Qui regna dat coelestia.

Ibant magi quam viderant
Stellam sequentes praeviam:
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis
Coelestis agnus attigit;
Peccata, quae non detulit,
Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiae:
Aquae rubescunt hydriae,
Vinumque jussa fundere,
Mutavit unda originem.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus,
Cum patre et almo spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Coelius Sedulius.

Apparuit gratia tua, Jesu Christe, hodierno die omnibus hominibus; nam pari amore Judaeos amplecteris atque ethnicos. Quam miser essem, nisi majores ac per eos me ipsum ad lucem tuam admirabilem duxisses! Quare te pro beneficio verae fidei non solum debitis gratiis prosequor, sed etiam supplex rogo, ne unquam vocem tuam, dulcissime Jesu, me comiter monentem, negligere audeam.

Deus, qui unigenam filium tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex

fide cognovimus usque ad contemplandam speciem tuae claritatis perducamur: per eundem dominum nostrum. Amen.

FESTO SS. NOMINIS JESU.

N. B. *Has preces non solum hoc festo, sed per totum annum, praesertim* **omnibus diebus Martis**, *qui sunt nomini Jesu sacri, etiam ad venerandum* **ss. sacramentum altaris**, *adhibere convenit.*

Carmen sacrum.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia!
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei filius.

Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quaerentibos, —
Sed quid invenientibus!

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula. Amen.

Ex majore carmine S. Bernardi.

Optime Jesu, clementissime Jesu, suavissime ac dulcissime Jesu! Jesu, fili Dei, nate ex Maria virgine! Qua es immensa misericordia miserere mei! Per pretiosum illum sanguinem, quem pro nobis peccatoribus effudisti, te deprecor, ut, ablutis omnibus injuriis meis, benigne in me miserum et indignum peccatorem, humiliter veniam exorantem, respicere velis. O nomen Jesu, nomen amabile, nomen plenum oblectamentorum! Quid enim *Jesus* est aliud nisi *servator?*

Ergo, o Jesu, propter nomen sanctum tuum esto mihi Jesus et servato me. Noli permittere, ut ego damner, quem pretioso sanguine tuo salvum reddidisti. Ne perdar ego, quem fecit tua, o Jesu, benignitas, mea iniquitate. Miserere igitur mei, benignissime Jesu, dum tempus est miserendi; quum vero tempus inciderit judicii, noli me damnare. Atque licet severa tua justitia me damnatura sit, confugiam ad tuam infinitam misericordiam, eam appellabo.

O Jesu plene amoris, o Jesu digne summis desideriis, o Jesu mitissime! O Jesu, Jesu, Jesu! Suscipe me numero a te electorum. O Jesu, salus te credentium! O Jesu, fiducia ad te confugientium,

O Jesu, dulcedo te diligentium! Fac ut te diligam, tibi adhaeream, ad te perveniam. Amen.

LITANIAE SS. NOMINIS JESU.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, miserere nostri.
Fili, servator mundi, Deus,
Spiritus sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, fili Dei vivi,
Jesu, splendor patris,
Jesu, candor lucis aeternae,
Jesu, rex gloriae,
Jesu, sol justitiae,
Jesu, fili Mariae virginis,
Jesu admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii angele,
Jesu potentissime,
Jesu dolorum patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu mitis et humilis animi,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,

Miserere nostri.

Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, studiosissime animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaure credentium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium angelorum,
Jesu, magister apostolorum,
Jesu, doctor evangelistarum,
Jesu, fortitudo martyrum,
Jesu, lumen confessorum,
Jesu, puritas virginum,
Jesu, corona sanctorum omnium,

Miserere nostri.

Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, audi nos Jesu.
Ab omni peccato, libera nos, Jesu.
Ab ira tua
Ab insidiis diaboli
A spiritu fornicationis
A morte perpetua
A neglectu inspirationum tuarum
Per mysterium incarnationis tuae
Pec nativitatem tuam
Per infantiam tuam
Per divinissimam vitam tuam
Per labores tuos
Per angorem et perpessiones tuas

Libera nos, Jesu.

Per crucem et inopiam solatii
Per languores tuos
Per mortem et sepulturam tuam
Per resurrectionem tuam
Per ascensionem tuam
Per gaudia tua
Per gloriam tuam
} Libera nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, audi nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri, Jesu.

Jesu, audi nos.

Jesu, exaudi nos.

℣. Audiat nos dominus Jesus Christus.

℟. Nunc et semper. Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divini amoris tui affectum, ut te toto animo, ore et opere diligamus et a tua nunquam laude cessemus.

Humanitatis tuae ipsa divinitate unctae, domine Jesu Christe, timorem pariter et amorem fac ut habeamus perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae caritatis instituis; qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

QUADRAGESIMA.

Carmen sacrum.

O sol salutis, intimis,
Jesu, refulge mentibus,
Dum nocte pulsa gratior
Orbi dies renascitur.

Dans tempus acceptabile,
Da lacrimarum rivulis
Lavare cordis victimam,
Quam laeta adurat caritas.

Quo fonte manavit nefas,
Fluent perennes lacrimae,
Si virga poenitentiae
Cordis rigorem conterat.

Dies venit, dies tua,
In qua reflorent omnia:
Laetemur et nos in viam
Tua reducti dextera.

Te prona mundi machina
Clemens adoret trinitas;
Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum. Amen.

*Incogniti auctoris.**

Deus, qui corporum jejuniis vitia comprimis, mentem ad te erigis, virtutem largiris et praemia, tribue

nobis gratiae tuae auxilium, quo adjuti et corporibus a cibo, et ingeniis a pravis cogitationibus, et voluntatibus a malis abstineamus operibus.

Tu vero, qui conspicis, omni nos virtute destitui, animos atque corpora custodi, ut et illi a pravis cogitationibus mundentur, et haec ab omnibus rebus adversis muniantur. Fac denique, ut qui ob nostra male facta merito affligimur, tuae gratiae consolatione respiremus. Id te rogamus per dominum nostrum Jesum Christum etc.

DOMINICA PASSIONIS.

Carmen sacrum.

Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,

Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.

O crux ave, spes unica,
Hoc passionis tempore!
Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina.

Te, fons solutis, trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium.

Venantius Fortunatus.

Domine Jesu Christe, salus et pretium nostrum: Quae te impulit caritas, ut te acerbissimis sineres cruciari doloribus, torqueri a ferocissimis hominibus, a foeda Judaeorum natione irrideri, morte denique pro me misero homuncione ac pro universo nostro genere affici? Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut, unde mors fuisset orta, inde vita resurgeret, et qui in ligno vicisset in ligno quoque vinceretur: tu mihi ex sacris vulneribus tuis nunc et hora mortis auxilium effunde: qui vivis et regnas in aeternum. Amen.

LITANIAE PERPESSIONUM DOMINI

alias quoque, quum tempore quadragesimae, tum toto anno, praecipue diebus Veneris, dicendae.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, miserere nostri.
Fili, salus mundi, Deus,
Spiritus sancte, Deus,
Sancta trinitas, unus Deus,
Jesu contumeliis vexate,
Jesu triginta numis vendite,
Jesu in angoribus sanguineo sudore asperse,
Jesu osculo a Juda prodite,
Jesu a militibus ligate,
Jesu a discipulis derelicte,
Jesu Annae et Caiphae repraesentate,
Jesu alapa a servo percusse,
Jesu a falsis testibus accusate,
Jesu capitis damnate,
Jesu in facie consputе,
Jesu oculis velatis,
Jesu a Petro ter negate,
Jesu vincte et Pilato tradite,
Jesu ab Herode illuse,
Jesu veste alba indute
Jesu Barrabbae postposite,
Jesu flagellis caese,
Jesu veste purpurea indute
Jesu spinis coronate,

Miserere nostri.

Jesu arundine percusse,
Jesu ad crucem a Judaeis postulate,
Jesu arbitrio vulgi tradite,
Jesu crucis pondere onerate,
Jesu vestibus spoliate,
Jesu clavis in cruce fixe,
Jesu pro inimicis patrem deprecate,
Jesu in latronum ordinem depresse,
Jesu in cruce vel a latrone illuse,
Jesu, qui derelictus patrem implorasti,
Jesu, cui fel et acetum bibenda dedere.
Jesu obediens usque ad mortem,
Jesu lancea transfixe,
Jesu piaculum nostrum,
Miserere nostri.

Propitius esto: parce nobis, domine.
Propitius esto: audi nos, domine.
Ab omni malo libera nos, domine.
Ab omni peccato,
Ab ira, odio omnique mala voluntate,
A peste, fame et bello,
A temerario falsoque judicio,
Ab intemperantia cibi et potus,
Ab omni impuritate,
A cunctis mentis corporisque periculis,
A morte perpetua,
Per labores et vigilias tuas,
Per verbera quae passus es et coronam,
Per dolores tuos,
Per pretiosam crucem et mortem tuam,
Die judicii,
Libera nos, domine.

Peccatores: te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus, audi nos.

Ut ad veram poenitentiam nos perducas,
Ut gratiam s. spiritus animis nostris clementer infundas,
Ut nobis veram humilitatem, obedientiam, caritatem largiaris,
Ut nos tanto pretio redemtos in tua gratia conserves,
Ut carnis stimulos et libidines exstirpes,
Ut totis animis Jesum crucifixum diligamus,
Ut crucem tollamus et Jesum sequamur,
Ut defunctis christianis requiem aeternam concedas,

Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis, domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: audi nos, domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nostri.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui hora sexta pro mundi salute in cruce suspensus sanguinem pretiosum pro remissione peccatorum nostrorum effudisti, te humiliter deprecamur, ut mortuis nobis in paradisum cum gaudio intrare concedas: qui vivis et regnas etc. Amen.

DOMINICA PALMARUM.

Carmen sacrum.

Gloria, laus et honor tibi sit, rex Christe redemtor,
Cui puerile decus promsit hosanna pium.

Israel es tu rex, Davidis et inclyta proles,
  Nomine qui in domini, rex benedicte, venis.
Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis,
  Et mortalis homo et cuncta creata simul.
Plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit:
  Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.
Hi tibi passuro solvebant munia laudis:
  Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuere tibi, placeat devotio nostra:
  Rex bone, rex clemens! cui bona cuncta placent.

Theodulphus.

Potentissime, sempiterne Deus, cujus filius, dominus noster Jesus Christus, in pullo asinae sedens hodie a pueris Hebraeorum, vestimentis et ramis arborum in via stratis, pie celebratus est, tribue, quaesumus, ut illorum innocentiam imitati in coelo collocemur, ubi sine intermissione tuam laudem praedicemus cantantes: «Hosanna filio David, laudatus qui venit in nomine domini. Hosanna filio David!» Amen.

HEBDOMADE SACRA.

Carmen sacrum.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis
Et super crucis tropaeo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter redemtor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit,
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris
Natus orbis conditor,
Atque ventre virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia,
Membra pannis involuta
Virgo matcr alligat,
Et Dei manus pedesque
Stricta cingit fascia.

Lustra sex qui jam peregit,
Tempus implens corporis,
Sponte libera redemtor
Passioni deditus,

Agnus in crucis levatur
Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet;
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt,
Unda manat et cruor;
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine!

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis!
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, germine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa viscera.
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas,
Et superni membra regis
Tende miti stipite.

Sola digna tu fuisti,
Ferre mundi victimam,
Atque portum praeparare
Arca mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit,
Fusus agni corpore.

Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,

Aequa patri filioque
Par decus paraclito:
Unius trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

Venantius Fortunatus.

Procido coram sancta cruce tua, domine Jesu Christe, auctor et remunerator fidei nostrae! Tu qui pro mundi liberatione aerumnas et angustias, opprobria et convicia, calumnias et injurias, poenas et tormenta voluisti pati atque mortem atrociorem, quam quae dici aestimarive possit, innocentissimus tolerare: per hos omnes dolores, quos nostra caussa subisti, tibi supplico, ut nos et a sceleribus commissis purges, et a periculis hujus vitae meritisque peccatorum poenis tuearis et a necopinata aeternaque morte defendas.

Non obliviscar, quin adeo semper ante oculos habeam gratoque animo recolam, quos pro me hoc tempore cruciatus toleraveris, ut sicut dolorum et laborum tuorum ita etiam honoris et praemii electis promissi particeps fiam. Quare omnem spem totamque laetitiam et gloriam in cruce et morte tua constituam.

Fac me, Jesu, granum frumenti, quod, quum in terram ceciderit, multiplicem fructum proferat. Vulnera tua sint mihi sanitati et vitae, crux et mors tua dulcissimae consolationi. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (Gal. VI.).

Adoramus te, domine, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Amen.

ALIUD DE S. CRUCE CARMEN.

Crux benedicta nitet, dominus qua carne pependit
  Atque cruore suo vulnera nostra lavit.

Mitis amore pio pro nobis victima factus
  Traxit ab ore lupi qua sacer agnus oves.

Transfixis palmis ubi mundum a clade redemit
  Atque suo clausit funere mortis iter.

Hic manus illa fuit clavis confixa cruentis,
  Quae eripuit Paulum crimine, morte Petrum.

Fertilitate potens, o dulce et nobile lignum,
  Quando tuis ramis tam nova poma geris.

Cujus odore novo defuncta cadavera surgunt,
  Et redeunt vitae qui caruere die.

Nullum uret aestus sub frondibus arboris hujus,
  Luna nec in nocte, sol neque meridie.

Tu plantata micas secus est ubi cursus aquarum,
  Spargis et ornatas flore recente comas.

Appensa est vitis inter tua brachia, de qua
  Dulcia sanguineo vina rubore fluunt.

Venantius Fortunatus.

1.

Domine Jesu Christe, salus mea! Cum summo dolore recordor *sudorem et sanguinem, qui in oliveto, consideratis mundi peccatis et provisis tuae mortis tormentis, ex sancto corpore tuo effundebantur.* Adoro te undique sanguine perfusum. Gratias ago tuae caritati pro me tam immaniter afflictae. Detestor peccata, tui caussas moeroris. Firmiter statuo potius mori, quam unquam novo scelere te offendere. Idcirco largire mihi gratiam, ut ego aeque ac tu lacrimem peccata. Amen.

2.

Domine Jesu Christe, salus mea! Qui in domo Annae et Caiphae *alapis percutiebare, illudebare omninoque pessime excipiebare,* gratias tibi ago pro mea salute tot injurias perpesso et opprobria. Eheu! quoties, dum aliis injurias inferebam, te percussi et elusi, quippe qui mala, quae aliis intulerimus, tibi illata reputes! Humillime ideo te rogo veniam firmiterque tui caritate actus injurias patienter tolerare statuo, ne unquam amplius unum ex fratribus offendens tibi quidquam mali infligam. Amen.

3.

Domine Jesu Christe, salus mea! *Qui ab Herode et a cunctis Judaeis, scelerato latrone tibi anteposito, es ludibrio habitus:* veniam a te peto, qui saepissime regem tartareum et vilissimas res creatas tibi praetulerim. Atqui abhinc tu solus in me dominabere. Quare despectis infernis potestatibus et mundo, te regem meum unicum agnoscam. Amen.

4.

Domine Jesu Christe, salus mea! *Cujus corpus purissimum castissimumque apud Pilatum atrociter flagellis lacerabatur,* ut scelesta quae nos nostris corporibus indulseramus oblectamenta expiarentur: agnosco, te mei amore commotum tam crudelia passum esse. Nunc vero doleo, quod tibi delectationibus, quas vetitas carni meae permiserim, tot vulnera inflixi, inflicta tam crudeliter iterum peccando renovavi. Ergo obsecro te per dolores tuos, ut et corpus et animum meum sancta et pura reddas, neve unquam ea iterum coinquinari concedas. Amen.

5.

Domine Jesu Christe, salus mea! *Qui spinis coronabare et pallio reguli instar terrestris amictus illudebare:* te vere regem meum veneror et agnosco. Et quoniam in universo corpore tuo non est sanitas inventa, nolo amplius ullam voluptatem meo corpori indulgere, sed cum dolore et poenitentia vivam, ut membrum nostro omnium capite, spinis coronato, dignum inveniar. Amen.

6.

Domine Jesu Christe, *qui pro me crucifixus,* ut me eriperes potestati inferorum, quorum fueram mancipium, omnem sanguinem tuum penitus profundebas: gratias ago immensae illi caritati, quae mea gratia vel cruciatus atrocissimos non horruit. Cum tenerrima pietate sacros pedes manusque tuas pro me perforata, atque sacrosanctum cor tuum, lanceae ictu nobis apertum, osculor et amplexor.

Praeterea promitto tibi, potius me esse moriturum, quam ullo peccato crucem novam tibi paraturum.

7.

Domine Jesu Christe, salus mea! *A patre derelictus, ne ego moriens derelinquar, inclinato capite emittis spiritum.* O mitissime agne pro me immolate! O victima amoris! O prodigium caritatis! O miraculum humilitatis! Osculor illud tuum suave os, mea caussa nunc pallidum; accipio super genua sacrum illud corpus, propter meam culpam occisum. Tu, mi amor, mortuus es, et ego — ego vivo! Utinam, mi Jesu, utinam mori pro te possem, quemadmodum tu mortuus es pro me. Absit a me gloriari in ulla re, nisi in cruce ac morte tua, mi amor crucifixe, propter quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Amen.

℣. Ora pro nobis virgo Maria plena dolorum,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, in cujus supplicio secundum vaticinium Simeonis animus praeclarissimae virginis Mariae dolore quasi gladio transfixus est, concede propitius, ut qui transfixionem et dolores ejus cum pia reverentia recolimus, ipsa omnibusque sanctis intercedentibus, tuae mortis fructus beatissimos percipiamus: qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum Amen.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Carmen sacrum.

Aurora coelum purpurat,
Aether resultat laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Horrens avernus infremit.

Rex ille dum fortissimus
De mortis inferno specu
Patrum senatum liberum
Educit ad vitae jubar.

Cujus sepulcrum plurimo
Custode signabat lapis:
Victor triumphat et suo
Mortem sepulcro funerat.

Sat funeri, sat lacrimis,
Sat est datum doloribus,
Surrexit exstinctor necis,
Clamat coruscans angelus.

Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.

Deo patri sit gloria
Et filio, qui a mortuis
Surrexit, ac paraclito
In sempiterna saecula. Amen.

Ambrosian.

Alleluja! Devicta est mors, profligatus orcus, patefactus aeternitatis aditus! Alleluja! Triumphator clarissime, nobilissime rex, qui festivo nos gaudio hodiė facis exultantes, fac ut nos etiam a morte, i. e. a peccatis, ad claritatem novae vitae resurgentes et perfectam libertatem consequamur et ad vitam proficiamus sempiternam: qui vivis et regnas etc.

ALIUD CARMEN SACRUM.

Salve festa dies toto venerabilis aevo,
Qua Deus infernum vicit et astra tenet.

Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum domino dona redisse suo.

Namque triumphanti post tristia tartara Christo
Undique fronde nemus, gramina flore favent.

Legibus inferni oppressis super astra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arva, fretum.

Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia regnat,
Dantque creatori cuncta creata pacem. Amen.

Venantius Fortunatus.

Excita animum meum, Jesu Christe, victor nobilissime, a periculoso torpore; praebe mihi dexteram tuam, invita me ad te, refice me pane tuo coelesti, ut, novis viribus acceptis, per hanc terram ad te festinem. Quando videbo te in terra vivorum, te in-

finitam pulcritudinem, te salutem meam, unicum amorem, te vitam meam? Tunc profecto, quum te summa laetitia videbo et possidebo, tunc: «illi sum junctus, exclamabo, illi in aeternum sum sociatus, quem in terris credideram, quem certo speraveram, quem flagranti animo dilexeram: te adoro, te laudo, te praedico Deum vivum, verum, qui vivis et regnas in sempiternum. Amen.

DOMINICA IN ALBIS.

Carmen sacrum.

Ad regias agni dapes,
Stolis amicti candidis,
Post transitum maris rubri
Christo canamns principi,

Divina cujus caritas
Sacrum propinat sangninem,
Almiquc membra corporis
Amor sacerdos immolat.

Sparsum cruorem postibus
Vastator horret angelus,
Fugitque divisum mare,
Merguntur hostes fluctibus.

Jam pascha nostrum Chsistus est,
Paschalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.

O vera coeli victima,
Subjecta cui sunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitae praemia.

Victor, subactis inferis,
Tropaea Christus explicat,
Coeloque aperto, subditum
Regem tenebrarum trahit.

Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.

Deo patri sit gloria
Et filio, qui a mortuis
Surrexit, ac paraclito
In sempiterna saecula. Amen.

Ambrosian.

Jesu Christe, fili Dei vivi et liberator animorum nostrorum! Plane coelesti gaudio elati tuam praeclaram resurrectionem recordamur. Jamjam finitum est opus aerumnosum, quod pro nostra salute subieras. Namque summa fulgens claritate ante oculos nostros constitutus es, vere Dei filius. Aeternas, immortales tibi gratias agimus. Atque tota quam agemus vita futura continuo tuam caritatem celebrabimus.

Suscipe vero nos et parvulos omnes, qui hodie primo sacrum tuum corpus sumturi ad altaria assistunt, benevolentissimo sinu tuo, ut divina potentia

adjuti ad excelsa illa beatae immortalitatis gaudia praeparemur. Amen.

ASCENSIONE DOMINI.

Carmen sacrum.

Salutis humanae sator,
Jesu, voluptas cordium,
Orbis redempti conditor
Et casta lux amantium!

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina,
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres?

Perrumpis infernum chaos,
Vinctis catenas detrahis:
Victor triumpho nobili
Ad dexteram patris sedes.

Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Tu, dux ad astra et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrimarum gaudium,
Sis dulce vitae praemium!

St. Ambrosius.

Fac nos, quaesumus, Deus optime maxime, tibi semper devotam habentes voluntatem et majestati

tuae sinceris animis servientes, ut, quemadmodum unigenam filium tuum, servatorem nostrum, ad coelos ascendisse credimus, ita nostrae ipsorum quoque mentes in rebus coelestibus figantur: per eundem dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

FESTO PENTECOSTES.

Duo carmina sacra
etiam alias saepissime recitanda *).

Veni, sancte spiritus!
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni, pater pauperum,
Veni, dator munerum,
Veni, lumen cordium!

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium!
In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium!

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium!
Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

*) Quae indulgentiae unum vel alterum carmen religiose recitantibus concedantur, vide supra in tertia parte p. 93 sq.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium:
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

Robertus, rex Franciae.

Veni, creator spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas
Et spiritualis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,

Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da patrem,
Noscamus atqne filium;
Teque utriusque spiritum
Credamus omni tempore.

Deo patri sit gloria,
Et filio, qui a mortuis
Surrexit, ac paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Carolus Magnus.

℣. Emitte spiritum tuum et creabuntur,
℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere: per Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.

Sancte spiritus, unus Deus cum patre et filio, qui hodie per orbem terrarum diffusus ecclesiam tuam catholicam replesti, ut omnino in nulla re verum non possit reperire, quique te apud ipsam usque ad finem hujus mundi mansurum promisisti, supplex coram te genua flecto, ut eandem sacrosanctam ec-

clesiam tuo semper lumine illustres, tuo auxilio ab inimicis doctrinae et disciplinae verae tuearis, nosque per ipsam ad claritatem tuam perducas. Exstirpa falsas doctrinas, frange dissidentium obstinationem, dele magistratuum terrestrium arrogantiam, ut sponsa tua sancta cum secura tibi serviat libertate. Fac principes christianos inter sese maximopere concordes, tuo regno humiliter servientes, subditorum salutem curantes. Nos denique ipsos tuis septem donis imple. Tribue ergo nobis sapientiam et intellectum, consilium et scientiam, fortitudinem et devotionem cum timore Dei. Consecra nos, tua templa, in quibus malum non amplius possit inesse. Tibi nos penitus, corpora et animos, tradimus, a te enim destituti non solum nihil boni, sed ne nomen Jesu quidem cum merito pronuntiare valemus. Esto nobiscum in aeternum!

FESTO SANCTISSIMAE TRINITATIS

vel omnibus diebus dominicis, quippe qui huic mysterio dedicati sint.

Carmen sacrum.

Tu trinitatis unitas,
Orbem potenter quae regis,
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus.

Ortus refulget lucifer,
Praeitque solum nuntius,
Cadant tenebrae noctium,
Lux sancta nos illuminet,

Deo patri sit gloria,
Ejusque soli filio,
Cum spiritu paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ambrosian.

Gloria tibi, trinitas aequalis, una divinitas, et ante omnia saecula, et nunc, et in perpetuum. Te confitemur, sancta omnium rerum effectrix et gubernatrix, ex qua omnia, per quam omnia, in qua omnia; ipsi gloria in aeternum!

Potentissime, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae fidei, aeternae trinitatis gloriam agnoscere, et potentiae adorare unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis: per dominum nostrum Jesum Christum etc.

PROFESSIO FIDEI, QUAM VOCANT ATHANASIANAM.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona patris, alia filii, alia spiritus sancti. Sed patris et filii et spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas. Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus spi-

ritus sanctus. Aeternus pater, aeternus filius, aeternus spiritus sanctus. Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus. Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus. Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus. Et tamen non tres Dei, sed unus est Deus. Ita dominus pater, dominus filius, dominus spiritus sanctus. Et tamen non tres domini, sed unus est dominus. Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac dominum confiteri christiana veritate compell mur, ita tres Deos aut dominos dicere, catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a patre et filio, non factus, non creatus, nec genitus, sed procedens. Unus ergo pater, non tres patres; unus filius, non tres filii; unus spiritus sanctus, non tres spiritus sancti.

Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus! sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales, ita, ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et unitas in trinitate, et trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia dominus noster, Jesus Christus, Dei filius, Deus

et homo est. Deus est ex substantia patris ante saecula genitus; et homo est ex substantia matris in saeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo: non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam: qui vero mala, in ignem aeternum.

Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria patri etc.

RENOVATIO PACTI
in s. baptismo cum Deo initi.

Dulcissime Jesu, servator animae meae, qui tanta ex aeternitate me amplexus es caritate, ut mea gratia definito tempore homo factus pretiosissimum pro me miserrimo ad aperiendam coeli portam effunderes sanguinem! Summa humilitate coram te pro-

cidens peccatorum, quibus divinam majestatem tuam offendi, indulgentiam peto. Namque quam graviter quamque ingrato animo contra te deliqui, qui largissima mihi peccatori dona profuderas. Eheu me sceleratum! Atqui quid possum aliud facere, nisi cum dolore et poenitentia ad te, pater, clamitare «non sum amplius dignus, qui dicar filius tuus?»

Ergo ignosce mihi, domine, aeterna bonitas, infinita misericordia! Fac ratum illud quod in sacro baptismo tecum iceram foedus. Idemque foedus tecum hodie iterum velim facere. Itaque renuntio satanae, mundo, carni; detestor omnes tartareas tentationes, mundi illecebras, corporis voluptates. Atque tua gratia adjutus me abhinc polliceor peccata vitaturum, non tam aeterni supplicii metu, quam tui caritate actus, quippe qui sis Deus meus, immenso amore dignissimus.

Quamobrem veniam et impunitatem da mihi omnium quae commisi delictorum! Asperges me, tanquam hyssopo, sanguine tuo, reddes mihi candidam innocentiae vestem, ornabis digitum meum anulo fidei, tanquam pretiosissimo caritatis pignore, quo conserver tui amans in aeternum, dabis mihi denique osculum pacis. Quae munera a te expecto, domine, ob infinitam misericordiam tuam, qua commotus tu ad adjuvandos nos assiduo magis propensus es, quam nos ad te rogandum. Tibi gloria, laus, gratiarum actio omnium quae sine intermissione de tua largitate accipimus beneficiorum. Amen.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Carmen sacrum.

Lauda, Sion, salvatorem,
Lauda ducem et pastorem
In hymnis et canticis:
Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur,
Quem in sacrae mensa coenae
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio:
Dies enim sollemnis agitur,
In qua mensae prima recolitur
Hujus institutio.

In hac mensa novi regis
Novum pascha novae legis
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur christianis,
Quod in carnem transit panis
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis. quod non vides,
Animosa firmat fides
Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus,
Latent res eximiae.
Caro cibus, sanguis potus:
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inaequali
Vitae vel interitus.
Mors est malis, vita bonis:
Vide, paris sumptionis
Quam sit dispar exitus.

Fracto demum sacramento,
Ne vacilla, sed memento

Tantum esse sub fragmento
  Quantum toto tegitur:
Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status nec statura
  Signati minuitur.

Ecce panis angelorum,
Factus cibus viatorum,
Vere panis filiorum,
  Non mittendus canibus.
In figuris praesignatur,
Quum Isaac immolatur,
Agnus paschae deputatur,
  Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere.
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
  In terra viventium.
Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
  Fac sanctorum civium. Amen.

S. Thomas Aquinas.

Respice propitius, divine servator, ad hunc quem ecclesia tibi agit sollemnem triumphum! Recolimus enim gratis animis summum illud tuae caritatis mi-

raculum in ultima coena institutum. Etenim libere et palam te vere in hoc mysterio, quod angeli adorant, profitemur praesentem. Quam fidem coram universo mundo ostensuri publice coram te procidimus, publice carmina sacra tuo honori dicamus, publice te praedicamus, cum universo genere nostro, te hodie per orbem terrarum celebranti, te publice veneramur. Qua de causa animos nostros renoves, mundes, sanctos reddas, ut non solum externa pompa et publico splendore te colamus, sed etiam intima pietate animorumque integritate tibi placeamus. Fac ut effluat ex divino sacramento tuo ea virtus, quae nobis semper virtutem et fortitudinem, consolationem et perseverantiam, gratiam et aeternam gloriam praebeat. Amen.

Alias preces huic festo valde convenientes vide in parte tertia p. 116 sqq.

FESTO SS. CORDIS JESU.

Die Veneris post octavam festi corporis Christi.

N. B. *Has preces etiam alio tempore, praesertim omnibus diebus Jovis, huic mysterio sacris, vel coram exposito vel in visitando sacramento recitari, haud ineptum videtur.*

Carmen sacrum.

En, ut superba criminum
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra derigunt,
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit.

Ex corde scisso ecclesia
Christo jugata nascitur;
Hoc ostium arcae in latere est
Genti ad salutem positum.

Ex hoc perennis gratia,
Ceu septiformis fluvius,
Stolas ut illic sordidas
Lavemus agni in sanguine.

Turpe est redire ad crimina,
Quae cor beatum lacerent;
Sed aemulemur cordibus
Flammas amoris indices.

Hoc Christe nobis, hoc pater,
Hoc sancte dona spiritus,
Quibus potestas, gloria
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

Incogniti auctoris.

Ave cor Jesu dulcissimum, suavissimum ss. trinitatis gaudium! Ave cor Jesu manans melle, quasi amnis bonitatis, gratiae, dulcedinis! Salve cor Jesu, nostri amantissimum, omnium divitiarum valde plenum! Sexcenties te laudo et praedico, tibi benedico et gratias ago, quippe quod sis fons et origo omnis bonitatis et misericordiae. O nobile et pretiosum

cor Jesu Christi! per mutuum illud summae caritatis vinculum, quo jungitur ss. trinitas, te colo; atque adoro admirabilem illam abundantiam omnium bonorum, quae in omnium piorum animos adhuc effluxerunt et porro effluent. Namque quot homines immenso quodam irrigasti et quasi inebriasti torrente divinae voluptatis tuae!

Ave cor Jesu, cor dulce, cor suave, abundans caritate! In te intimum immergo animum meum, ibi sepelio et depono omnem iniquitatem meam, ut per te deleatur. Tibi offero omnes quos subeo labores et sudores; tibi dedico omnes quas tolero angustias et miserias, tibi commendo vitam et finem vitae. O cor Jesu sanctissimum et gratissimum omnium sacrificiorum, offer te ipsum Deo patri hostiam placatonis et reconciliationis, consecra te Deo in supplementum omnium dierum, quibus Deo non protuli fructum.

Benedico tibi, cor Jesu nobilissimum, per illum amorem, quo a spiritu sancto ex sanguine Mariae, castissimae virginis, es creatum. Saluto abundantiam illam omnium donorum, quibus a ss. trinitate es ornatum. Praedico illam quam semper in genus nostrum praestitisti mansuetudinem. Veneror illum quo actus crucem et mortem subisti amorem. Summis laudibus effero te pro nostra salute militis lancea transfixum et apertum.

Id igitur cor, praeclarissimum divinae caritatis pignus, tibi offero, rex tremendae majestatis, ut sit tibi satisfactioni omnium quae commisi scelerum.

Tu vero Jesu dulcissime, qui te dixisti venisse, ut ignem in mundum mitteres, quid aliud volentem,

nisi ut accenderetur; incende et quodam modo combure animum meum tua caritate inflammatum.

Concede, quaesumus, potentissime Deus, ut, qui in sanctissimo carissimi filii tui corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu: per eundem dominum nostrum etc.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

Carmen sacrum.

Coelestis urbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsaeque ritu cingeris
Mille angelorum millibus.

O sorte nupta prospera,
Dotata patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo jugata principi,
Coeli corusca civitas!

Hic margaritis emicant,
Patentque cunctis ostia:
Virtute namque praevia,
Mortalis illuc ducitur,
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus
Et tunsione plurima,

Fabri pollita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.

Decus parenti debitum
Sit usquequaque altissimo,
Natoque patris unico
Et inclyto paraclito,
Cui laus, potestas, gloria
Aeterna sit per saecula. **Amen.**

Incogniti auctoris.

Quamquam spiritu tuo, Deus, corporeis abscondito oculis, omnia contines, tamen in nostram salutem externa signa tuae potentiae ante oculos nostros constituisti. Quare cum mira fiducia ad templa tuae majestati dedicata convenientibus nobis tribue, ut, ex quacunque calamitate ad te clamaverimus, consolationis tuae participes fiamus! Tu vero animos nostros a profanis munda cogitationibus et magna imbue pietate, ut in dies ardentiores hic tibi fundamus preces, in dies magis splendore domus tuae delectemur, aliquando denique magnificentissimam et oculis patentem sedem gloriae tuae conspiciamus in coelis. **Amen.**

---

† PROFESSIO FIDEI TRIDENTINA

saltem semel quotannis fiat.

Ego N. N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, et ex patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine et homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit secundum scripturas; et ascendit in coelum, sedet ad dexteram patris; ct iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in spiritum sanctum, dominum et vivificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est, judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis, a Jesu Christo domino nostro

instituta atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter et sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi ac deiparae semper virginis nec non aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.


Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque pontifici, beati Petri, apostolorum principis, successori ac Jesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, atque praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego N. N. idem spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei evangelia.



PARS QUINTA.

Exercitia Mariana.

RATIO SESE BEATAE VIRGINI VOVENDI.

Sancta Maria, mater Dei et virgo! Ego, licet indignus, qui serviam tibi, tamen materna animi tui clementia fretus eligo te hodie, coram angelo custode et tota coelesti curia, meam matrem et peculiarem dominam, patronam et advocatam. Firmiterque mihi propono, me abhinc filio tuo servire velle fideliter et tibi fidelem perpetuo esse mansurum.

Obsecro te, sanctissima mater, per amorem, quo filius tuus jam moriturus in cruce semetipsum suo patri, te vero discipulo et discipulum tibi commendavit, ut me suscipias in curam tutelamque tuam et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae, praecipue hora mortis. Amen.

† ORATIO S. BERNARDI.

Memorare, o piissima virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia a te esse derelictum. Ego tali animatus

fiducia ad te, virgo virginum, Maria, mater Jesu Christi, confugio, ad te venio, ad te curro, coram te gemens peccator et tremens assisto. Noli, o domina mundi, noli, aeterni verbi mater, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi me miserum ad te in hac lacrimarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc et semper et maxime in hora mortis meae. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

MODUS ROSARII RECITANDI.

Rosarium gaudiorum.

Petitio 1. Qui adaugeat nobis fidem.
2. Qui corroboret nobis spem.
3. Qui perficiat in nobis caritatem.

a. Quem virgo concepisti.
b. Quem visitando Elisabeth portasti.
c. Quem virgo peperisti.
d. Quem in templo repraesentasti.
e. Quem in templo invenisti.

Rosarium dolorum.

Petitio 1. Qui intellectum nostrum illuminet.
2. Qui voluntatem nostram perficiat.
3. Qui memoriam nostram corroboret.

a. Qui pro nobis sanguinem sudavit.
b. Qui pro nobis flagellatus est.
c. Qui pro nobis spinis coronatus est.
d. Qui pro nobis crucem portavit.
e. Qui pro nobis crucifixus est.

Rosarium gloriae.

Petitio 1. Qui cogitationes dirigat.
2. Qui verbis moderetur.
3. Qui gubernet opera.

a. Qui resurrexit a mortuis.
b. Qui in coelos ascendit.
c. Qui nobis spiritum sanctum misit.
d. Qui te in coelos assumsit.
e. Qui te in coelis coronavit.

PRECES IN HONOREM B. VIRGINIS SINE PECCATO CONCEPTAE.

Sancta Maria, regina coeli, mater domini nostri Jesu Christi, regina mundi! Quae nullum ad te confugientem destituis, nullum peccatorem despicis, oculis illis quos habes clementiae plenos ad me respice atque apud filium tuum carissimum per conceptionem tuam sanctissimam, purissimam integerrimamque mihi veniam impetra peccatorum, ut qui tuam in terris pie recolo gloriam in altera vita aeternae victoriae palma doner ab illo, quem peperisti, domino nostro Jesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in aeterna saecula. Amen.

Virgo purissima, sine ullo peccati hereditarii maculo in utero matris Annae concepta, per eam extraordinariam conceptionem ac perfecte custoditam puritatem tuam te obsecro, ut meum quoque corpus et animum ab omni peccato tuearis alienum: in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

SEPTEM GAUDIA MARIAE.

1.

Quanto afficiebaris gaudio, beata mater, quum te Deo carissimam eandemque electam esse matrem Jesu Christi, *angelo Gabriele nunciante,* comperisti! Per id te gaudium rogo, mihi quoque gratiam a Deo impetres, ne quid habeam antiquius, *quam ut ei semper placeam* in omnibusque cogitationibus, verbis et operibus id solum, ut ipsi prober, studeam.

Ave Maria etc.

2.

Quam excelso gaudio triumphabas, beata mater, quum puritate non perdita *creatorem omnium rerum ab universo mundo desideratum genueras!* Per id te gaudium rogo, impetres mihi a Deo gratiam *conservandae semper puritatis et integritatis,* ut omnium libidinosorum affectuum expers ex illorum sim numero, quos Jesus beatos dixit, quoniam mundis essent animis.

Ave Maria etc,

3.

Quam efferebaris ingenti gaudio, beata mater, *quum magi filium tuum ut verum Deum adorantes* auro, thure et myrrha donavere! Obtine mihi a Deo gratiam ipsi summo domino fideliter semper serviendi, *eumque viva fide, spe firma, caritate perfecta colendi.*

Ave Maria etc.

4.

Quam incredibili gaudio gestiebas, beata mater, quum filium tuum in cruce foedissime mortuum post tres dies *cum gloria resurrexisse compereras!* Idcirco impetra mihi quoque gratiam ex peccatis ad novam vitam resurgendi, ut, quemadmodum filius tuus ad novam vitam excitatus jam a morte non amplius petitur, ita ego quoque dicere possim: *«Vivo ego, neque vero vivo ego, sed Christus vivit in me.»*

Ave Maria etc.

5.

Quis, beata mater, comprehendat ingens quod senseris gaudium, quum filius tuus *clara nube circumfusus sese od coelum tollebat?* Per id gaudium mihi implores, quaeso, *ardens coeli desiderium,* ut gaudiis terrestribus parce utens, mala patienter tolerans, quidque bonum impigre perficiens, per hujus mundi sic migrem gaudia, ut aeterna non perdam.

Ave Maria etc.

6.

Qua dulcedine, quo triumpho affluebas, beata mater, quum *festo pentecostes spiritus sanctus quoddam mare gratiaram in cor tuum castissimum effundebat!* Ideo mihi quoque gratiam uberrimam petas, ut animi puritate, vanitatum terrestrium despectione, precum assiduitate, digna sacramentorum perceptione *spiritus sancti valeam templum existere.*

Ave Maria etc.

7.

Quem tandem immensum, quem incredibilem agebas triumphum, beata mater, *quum in coelo recepta praemia virtutum capiebas!*

Eas utinam virtutes imitatus tuamque vitam sequutus *illuc perveniam, ubi tu jamjam sine fine gaudes et laetaris!* Implora mihi, implora, obsecro, ad bene vivendum beateque moriendum divinum auxilium! Amen.

Ave Maria etc.

SEPTEM DOLORES MARIAE.

1.

Cum pietate illum recolo dolorem, quem tum sensisti, sancta mater salutis nostrae, quum in templo offerens divinum puerum diram illam ex ore Simeonis audiebas vocem: «*Ecce, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur et tuam ipsius animam pertransibit gladius!* Per eum te dolorem rogo, tuearis me materna caritate in omnibus quas Deus in me immiserit calamitatibus, ut usque ad finem perseverem.

Ave Maria etc.

2.

Cum pietate illum recolo dolorem, quem sensisti, sancta mater salutis nostrae, *quum angelus ab Herode Jesum peti Josepho nunciasset.* Per eum acerbissimum dolorem, per omnes aerumnas, et in longo itinere et in terra barbara toleratas, mater

clementissima, a te hanc peto gratiam, ut me semper in mundo peregrinum sentiens neque terrestrium bonorum splendore neque vanitatum deliciis a desiderio aeternae patriae abstrahar.

Ave Maria etc.

3.

Cum pietate illum recolo dolorem, quo materna caritas tua, *parvulo Hierosolymis amisso,* torquebatur. Per eum angorem pro me intercedas, rogo, ut Jesum vel nunquam gravi peccato perdam, vel, si perdidero, quod absit, vera poenitentia statim recuperem.

Ave Maria etc.

4.

Quam crudeliter immani dolore cruciabaris, pia mater, quum *filium tuum latronis instar captum, ferocitate carnificum dilaceratum, spinis coronatum, capitis damnatum, cruce oneratum tuis oculis conspiciebas!* Rogo te per eum dolorem, regina potentissima, unica spes peccatorum, avertas a me poenas ob peccata meritas, et Jesu in dies magis diligendi mihi gratiam acquiras, ut ei in mundum revertenti judici tranquillo animo obviam eam.

Ave Maria etc.

5.

Sanctissima mater servatoris nostri! Quam atrocissimo dolore tanquam gladio materna caritas tua excruciabatur, quum Jesum, delicias et gaudium animi tui, cum acerbissimis doloribus *in cruce pendentem, a populo irrisum et cum magno clamore*

exspirantem adspiciebas. Per eam dolorum immanitatem, qua tanquam mari immenso tum mergebaris, per invictam illam qua excellebas animi constantiam: mihi a Deo gratiam expetas detestandi ex animo et deflendi omnes libidines, tantorum caussas malorum. Fac, ut vera poenitentia mundatus a filioque tuo benigne adjutus confidenter ex hac vita decedam.

Ave Marta etc.

6.

Benignissima, benevolentissima mater salutis nostrae! Pie recolo, quem dolorem senseris, *quum filii tui de cruce demissi sanctissimum corpus super gremium tuum suscipiebas.* O quot maternae caritatis lacrimis tum atrocissima vulnera Jesu Christi irrigabas! Per eum dolorem, per incredibilem illam patientiam et devotionem, patrona nostri amantissima, a filio tuo gratiam mihi impetres, ut providentiae, quae cuncta suaviter disponit ad pulcrumque finem perducit, me confidenter tradam, nunquam non modo murmurans, sed ne diffidens quidem, omnia meae esse saluti.

Ave Maria etc.

7.

Sed quo tandem immenso moerore amabilis animus tuus torquebatur, *quum Jesu Christi corpus ultimo oculis tuis conspicuum in sepulcro deponebatur!* Per illum te rogo dolorem, intercedas pro me, ut cor meum, in quod toties corpus domini sacramento deponitur, semper sit ipsi gratum habitaculum et ornatum, ut ego ipse in sumendo coelesti

cibo tranquillitatem et consolationem nunquam non sentiam. Amen.

Ave Maria etc.

CARMEN SACRUM.

1.

Stabat mater dolorosa
Juxta crucem lacrimosa,
Dum pendebat filius,
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.

2.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!
Quae moerebat et dolebat
Et tremebat, cum videbat
Nati poenas inclyti.

3.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam matrem contemplari
Dolentem cum filio?

4.

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum;
Vidit suum dulcem natum
Morientem, desolatnm,
Dum emisit spiritum.

5.

Eia mater, fons amoris!
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

6.

Sancta mater, istud agas:
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

7.

Fac me tecum vere flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare
In planctu desidero.

8.

Virgo virginum praeclara!
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere,
Fac, ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem
Et plagas recolere.

9.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari
Ob amorem filii.
Inflammatus et accensus
Per te, virgo, sim defensus
In die judicii.

10.

Fac me cruce custodiri,
Morte Christi praemuniri,
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

Jacobus de Benedictis s. Jacopone.

ORA INTERDUM BEATAM VIRGINEM BONAM MORTEM.

1. O domina mea, sancta Maria, per eximiam illam quam Deus, pater omnium potentissimus, tibi tradidit potestatem te invoco, ut mihi quoque adsis,

nunc et hora mortis, expellendo a me omnem contrariam potestatem. Amen.

Ave Maria etc.

2. O domina mea, sancta Maria, per maximam illam cognitionem et claritatem, qua filius Dei te sic illuminavit, ut totum coelum illustres, meum quoque animum, rogo, nunc et hora mortis cognitione fidei adeo illustres et corrobores, ut nullo errore, nulla ignorantia pervertatur. Amen.

Ave Maria etc.

3. O domina mea, sancta Maria, per plenum ac perfectum illum amorem, quem spiritus sanctus tibi infudit, me, quaeso, nunc et hora mortis illa imbue dulcedine, cujus ope mihi quidvis amarum suave reddatur. Amen.

Ave Maria etc.

PETE A MARIA CASTITATEM.

Utinam tuam castitatem corporis et animi, o sancta Maria, exemplar puritatis, saltem quantum statui meo convenit sequar! Sed quia mihi Salomonis exemplo confitendum est, me ad servandam castitatem gratia divina opus habere, ad te confugiens, clarissima mulierum, quae sine ullo puritatis detrimento filium Dei peperisti, etiam atque etiam te rogo intercessionem, qua adjutus neque immundas cogitationes neque verba neque opera ad me admittam. Tum vero quanta mihi arridebit fortuna, quum

ad agni nuptias in tuam omniumque sanctorum habitationem, quo impuri nihil intrat, introducar! Quare maternae illi misericordiae, qua clientes tuos prosequeris, corpus animumque commendo, a quibus omnem maculam arceas. Amen.

CARMEN MARIANUM.

Ave maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix coeli porta.

Sumens illud ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solutos,
Mites fac et castos.

Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum
Semper collaetemur.

Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

Venantius Fortunatus.

---

† ORATIO S. AUGUSTINI.

O beata Maria! quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones; et, cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus; accipe quod offerimus; redona quod rogamus; excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fe-

mineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem.

(Sermo 18. de sanctis).

---

† LITANIAE LAURETANAE

nomen ducunt ab oppido celeberrimo «Laureto» sive «Loretto;» quod jacet in civitate sancto patri subjecta, quo venerandae beatae virginis caussa innumerabiles quotannis homines confluunt.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, miserere nostri.
Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nostri.
Spiritus sancte, Deus, miserere nostri.
Sancta trinitas, unus Deus, miserere nostri.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genetrix,
Sancta virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater creatoris,

} Ora pro nobis.

Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina angelorum,
Regina patriarcharum,
Regina prophetarum,
Regina apostolorum,
Regina martyrum,
Regina confessorum,
Regina virginum,
Regina sanctorum omnium,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: audi nos, domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nostri.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Ave Maria etc.

Ad tuum praesidium confugimus, sancta Dei genetrix, nostras deprecationes ne despicias, sed a periculis cunctis libera nos semper, virgo praeclara gloriaeque plena! Domina nostra, oratrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei genetrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, domine, mentibus nostris infunde, ut qui, angelo nunciante, Christi filii tui incarnationem cognovimus per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur: per eundem Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.
℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae genetricis tuae sponsi, quaesumus, domine, meritis adjuvemur, ut quod nostris precibus

non obtinetur ejus nobis intercessione donetur: qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum.

℟. Amen.

TRADE CORPUS ET ANIMUM BEATAE VIRGINI.

O domina mea, sancta Maria, me tuae stabilissimae fidei ac singulari custodiae et sinui tuae misericordiae hac die et semper et hora exitus mei, animum et corpus meum tibi commendo. Namque omnem spem et consolationem, omnes angustias et miserias, vitam et finem vitae meae, maxime etiam N. tibi committo. Quare fore spero, ut ope sanctissimae intercessionis tuae et vi meritorum tuorum omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique filii voluntatem. Amen.

PIA MARIAE SALUTATIO.

Omni die dic Mariae
  Mea laudes anima:
Ejus festa, ejus gesta
  Cole splendidissima.
Contemplare et mirare
  Ejus celsitudinem:
Dic felicem genetricem,
  Dic beatam virginem.
Ipsam cole, ut de mole
  Criminum te liberet:
Hanc appella, ne procella
  Vitiorum superet.

Haec persona nobis dona
  Contulit coelestia:
Haec regina nos divina
  Illustravit gratia.
Lingua mea, dic tropaea
  Virginis puerperae,
Quae inflictum maledictum
  Miro transfert genere.
Sine fine dic reginae
  Mundi laudum cantica:
Hujus bona semper sona,
  Semper illam praedica.
Omnes mei sensus, ei
  Personate gloriam;
Frequentate tam beatae
  Virginis memoriam.

Sumsi ex carmine s. Casimiri.

O mater integerrima, angeli omniumque hominum vocibus in aeternum summis laudibus celebrata, singularis virgo, Dei genetrix Maria, gratissimum Dei templum, spiritus sancti sacrarium, janua regni coelestis, per quam, post Deum, totus vivit orbis terrarum! Praebe, mater misericors, benevolum auditum indignis supplicationibus meis: esto mihi, miserrimo peccatori, clemens et propitia omnium calamitatum auxiliatrix. Praesertim tum mihi adsis, peto, quum in discrimine peccandi constitutus sum, praecipue vero, quum ex hac vita mihi decedendum erit: o clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

Namque felix es, sacra virgo Maria et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiae, Chri-

stus Deus noster. Ergo ora pro populo, interveni pro sacerdotibus, intercede pro religioso feminarum sexu. Omnes denique tuum sentiant auxilium, quicunque tuam sacram celebrant commemorationem. Amen.

TEMPORE NECESSITATIS.

Clarissima mater Dei, virgo Maria, tota fiducia mea, unicum solatium languentis animi mei! Te precor, ut miserrimo mihi hoc necessitatis tempore assistere velis, quemadmodum filio tuo in cruce pendenti et pro nostra salute se offerenti astitisti. Noli me despicere, mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum, quae commisi, foeditatem; noli avertere faciem a me, quem tanta filius tuus dilexit caritate, ut pro salute mea moreretur. Memor igitur illius caritatis, qua commotus Jesus Christus ex te carnem assumpsit, fer opem calamitatum, quibus angor, et si sanctae Dei voluntati convenit, fac, ut avertatur miseria, sin minus, impetra mihi saltem paululum illius qua tu olim excellueras constantiae et patientiae, o clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

Hebdomas Mariana.

I. DIE DOMINICA.

O sancta Maria, benigna coeli regina, filia Dei patris, mater Dei filii, sponsa spiritus sancti, nobile totius trinitatis gaudium; a patre electa, a filio conservata, a spiritu sancto dilecta; a patre salutata, a

filio habitata, a spiritu sancto omni gratia repleta! Per te et propter te benedicat mihi Deus pater, qui me creavit, benedicat Deus filius, qui me pretiosissimo sanguine servavit, benedicat mihi Deus spiritus sanctus, qui me vi baptismi justum sanctumque reddidit; suscipiat denique tota sanctissima trinitas animam meam hora mortis.

O sancta Maria, regina clementiae plena! Ad tuum praesidium confugio, ut a te tanquam clypeo defendar, et a te protegar, quemadmodum pulli sub alis gallinae congregantur. Tuo patrocinio defensus vivere volo ac mori.

O sancta Maria, mater pulchrae caritatis, hora mortis meae sis mihi defensioni firmoque auxilio, ut isti confundantur, qui animam meam student ad perniciem rapere.

O sancta Maria, gratissima virgo, et nunc benedic mihi qua es eximia misericordia, et hora mortis animum confirma et consolare plena benignitate tua.

O sancta Maria, potentissima advocata, mihi in tuam clientelam recepto, et viventi benedic et morienti auxiliare.

O sancta Maria, Jesu tuumque nomen sit ultima vox, quam pronuncio, ultimum auxilium, quod imploro. Mane mecum, o Maria, quando advesperascet et vitae dies inclinabitur et caligo mortis mihi offundetur.

O sancta Maria, Dei genetrix, virgo, hora mortis fac me audientem laetissimam illam vocem, quae omnes angelos hominesque oblectat, ostende mihi faciem tuam, qua nihil est pulcrius. Namque vox tua suavis et facies tua venusta.

O sancta Maria, hora mortis meae Deo patri me commenda, Deo filio me reconcilia, Deo spiritui sancto me repraesenta, ut summa laetitia: «Laus tibi aeterna, sanctissima trinitas, exclamem, quia miram misericordiam mecum fecisti.» Amen.

II. DIE LUNAE.

O sancta Maria, omnium virginum integerrima, quae materna caritate vel animas recreas purgandas, consolans eas saepissime tua praesentia, atque tua intercessione tempus poenae brevius reddens: impetra mihi a filio tuo carissimo mentem humilitate et poenitentia imbutam, ut bona et pura conscientia vitam finiam.

O sancta Maria, mater Dei. utinam tuis precibus adjutus a Deo hora mortis misericordiam omniumque veniam delictorum obtineam!

O sancta mater Maria, omnium virtutum exemplum, ora pro me, ut divina gratia adjutrice bene beateque vivam ac feliciter tandem moriar. Tu, post Deum summa fiducia mea, noli me derelinquere, domina mea, mater salutis meae, ne, quum crudelissimis cruciabor tempore decessus aerumnis, inimico generis nostri ludibrio futurus sim.

Sancta Maria, mater cujusque maculae expers! Quum me defecerint dies mei, et dereliquerit me virtus mea, et lumen oculorum obscurabitur; quando lingua mea adhaerebit faucibus meis, et ossa mea ad pulverem deducentur: tunc esto spes mea, tum tuorum abundantia meritorum meae inopiae subvenies.

Sancta Maria, mater amabilis, eademque admirabilis, dispone omnia quae facio opera ad voluntatem Jesu Christi, ut bonis actionibus affluens, quum animus ex custodia et quodammodo vinculis corporis educetur, in aeterna domicilia recipiar.

Sancta Maria, mater auctoris omnium rerum, tua intercessione, quaeso, mentem meam sic facias divinae voluntati conjunctissimam, ut ad ultimum usque spiritum semper: «si vis, dicam, ut anima mea decedat, fiat voluntas tua.»

Sancta Maria, mater salutis nostrae, hora mortis meae te esse matrem meam dices, ut bene de me agatur et anima mea vivat propter te. Et si acciderit, ut mittar in carcerem illum immanem, donec universum debitum solutum sit, descendat mecum misericordia tua, quae me flammis cinctum refrigeret, tormentis cruciatum soletur. Tunc jure dicere potero, ut maxima et plurima sint mala, quibus angar, ita incredibilem esse tuam consolationem. Agedum, mater, tunc ad adjuvandum me festina, tunc filium tuum noli dimittere, donec mihi benedixerit, et ideo, quod tu ipsum rogasti, omne debitum meum remiserit. Amen.

III. DIE MARTIS.

Inter omnes mulieres tu sola, sancta Maria, angelorum domina, digna inventa es, quae a Gabriele salutata conciperet illum, cujus jussu in omnibus itineribus nostris a sanctis angelis custodimur. Etenim solliciti semper sunt pro communi nostra salute, ne unquam offendamus ad lapidem pedes nostros, do-

nec nos in locum illum sanctum, a Jesu Christo nobis praeparatum, introducant. Jube ergo, domina angelorum, angelum meum curam vitae meae habere solliciteque me custodire tum hic versantem tum illuc abeuntem; neve permittat famulum tuum inquinari, sed repraesentet animam meam illi sanctae luci, quae olim promittebatur Abrahae et filiis ejus.

O sancta Maria, laude dignissima! Animus meus te anhelet, te desideret, tuam custodiam nunc et hora mortis exoptet, ut te sine fine laudem, sine fine diligam.

O sancta Maria, virgo celebranda, qua es clementia miserere mei et benedic mihi! Luceat super me jucundissima illa vultus tui gratia, quum undique circumdabor angustiis, ne terribili isto aspectu me terreat inimicus.

O potentissima virgo Maria, ora, quaeso, Deum, ut auferat a me, quidquid ipsi displicet. Tu vero me moribundum et contra hostiles inferorum fraudes certantem adjuva.

Benignissima virgo, solatium et refugium meum, quae despicis nullum, sed omnes leniter ac mansuete aspicis, tuis manibus commendo me, qui sum a filio tuo in aeternum laudando servatus.

O sancta virgo Maria, exemplum justitiae, ora filium tuum, ne simul cum injustis me aeternae mortis damnet, sed inter oves numeratum me cum amicis suis ad coelestes nuptias invitet.

O sancta Maria, causa nostrae laetitiae, animum meum puncto mortis laetum redde suavissima illa voce: «Hodie mecum eris in paradiso, hodie in do-

num domini ibimus, ubi gaudium nostrum nemo tollat a nobis.»

IV. DIE MERCURII.

O sancta Maria, gratiae plena, quacum dominus fuit animi prius sanctitate quam corporis divina possessione. Summis laudibus effero beatam illam horam, quo filius Dei in utero tuo integerrimo homo factus est. O laetissimum diem, qui illuxit nobis mortis caligine olim circumfusis! O beatissimos annos, quibus, te patrona, progrediebatur puer Jesus tum annis tum gratia apud Deum et homines! O salutarem infantiam, qua tibi subditus erat et Josepho, ut nostrae mederetur contumaciae! Ora pro me filium tuum, tibi quondam subditum, ut sit mihi die judicii infans amabilis et placatus, neque vero judex austerus et severus.

O sancta Maria, rosa mystica! Illi quibus quasi spinis animus noster laceratur conscientiae remorsus fac ut hora mortis nostrae in rosas quasdam commutentur. Atqui sic vulnerata sit poenitentiae doloribus mens mea, ut illuc perveniam, ubi rosa non pungit et a te dilectus pascit oves inter lilia, quamdiu durat felicissimus ille aeternitatis dies.

O sancta Maria, turris eburnea! Tempore decessus mei turris firmissimae modo me ab hostibus tuearis, ut pacem inveniam et requiem sempiternam.

O sancta Maria! Quemadmodum Noë cum familia sua arcae ope in media aquarum eluvione salvus exstitit, ita tu, novi foederis arca, quum mortis tormenta ingentium undarum instar in me irrum-

pent, me benigne conservatum ad portum aeternae patriae adducas.

O Maria, stella matutina! Illo gravissimi momenti tempore, lumen, quo nos consolaris gratissimo, mihi emitte, ne obruar caligine. Tum aurora mihi sempiterni luminis ex coelesti patria suaviter offundatur.

O sancta Maria, salus infirmorum, filia David! Subveni mihi, quum in lectulo jacens corpus doloribus crudeliter affligetur, animus ab inferorum regulo foede tentabitur. Tunc, o praeclarissima, tunc, mater amata, arrideas mihi dicens: «Salus tua ego sum.» Amen.

V. DIE JOVIS.

O sancta Maria, pulcherrima mulierum! Agro plane divino te comparem, quae genuisti frumentum electorum et vinum generans virgines. Tuae admirabili dignitati mirabilibus quibusdam vinculis conjunctissimus est panis ille, qui de coelo descendit in se habens omne oblectamentum. Itaque effice tua intercessione, ut, ubi primum virtutibus destitui coeperim, ad illum cibum confugiam, quo corroboratus perveniam usque ad montem Dei, ubi beatus non amplius esuriam.

O Maria, refugium peccatorum, noli mei oblivisci, quando in ultimo illo proelio constitutus ero. Tunc quid polleas mihi ostende, ut ope misericordiae tuae adjutus, deletis omnibus peccatis, nomen meum ex libro vivorum non videam deletum.

O Maria, consolatrix afflictorum, adsistas prope

me morientem mansueta, mihique veniam filii tui concilies. Ipse enim tibi nihil negans honorem praestat. Itaque quum ad mortem moestus erit animus meus, quum coepero pavere et tremere, quum dolores me stimulabunt inauditi, tunc ad consolandum me approperans ostende mihi Jesum, fructum ventris tui.

O sancta Maria, auxilium christianorum, id a filio tuo, quaeso, impetres, ut in fide catholica, quam tenet romana eademque apostolica ecclesia, hinc decedam. Tunc mihi esto firmissimo auxilio.

O sancta Moria, regina angelorum, morienti mihi auxilio mitte angelum, qui animam meam susceptam summo regi repraesentet. Praecedat sanctus Michaël signifer; tua vero me exspectet misericordia ante tribunal judicis, quae mihi reddat placatum Jesum, summum bonum nostrum.

Sancta Maria, regina apostolorum! Sicuti filius tuus in cruce pendens discipufum Joannem: «Ecce, filius tuus» dicens, tibi commendavit, sic meam animam ex corpore profectam ipsi commenda: «Ecce anima, dicens, quam tuo pretiosissimo sanguine ab inferis redemisti.»

Sancta Maria, regina martyrum, excita in animo meo pium pro fide sanguinis fundendi desiderium. Quum vero ex hac vita demigrandum erit, martyrum patientia me confirma, ne in proelio ultimo paveam.

Sancta Maria, regina confessorum, obtine mihi divinum auxilium ad finem usque sic perseverandi, ut industrii agricolae more, aratro semel tacto, oculos non referam, priusquam palmam perennem acceperim.

O sancta Maria, regina virginum, fac, ne audiam diram illam vocem: «nescio te»; contra laetus introducar ad nuptias agni. Amen.

VI. DIE VENERIS.

O sancta Maria, quae crudelius martyribus excruciabare, per illum dolorem, qui gladii instar cor tuum transfixit, quum pro me miserrimo filium videbas morientem, quumque te Joanni, Joannem tibi traditum audiebas, Jesum vero summis cruciatibus torqueri percipiebas:

per illum igitur dolorem te obsecro, ut animam meam filio tuo commendes vulneribus ipsius protegendam. Namque ipsius sanguine mundatus audire velim: «Hodie mecum eris in coelo».

Sancta Maria, in tuum confugio praesidium, supplicationes meas noli despicere, sed a periculis cunctis me nunc et semper, praecipue extrema hora, liberes.

Sancta Maria, mater salutis, quasi in media procella constitutus aliquando ad te: «Serva me, ne peream,» clamabo. Tunc vero dic ventis et undis: «quiescite,» quo fiat tranquillitas magna.

O sancta Maria, gratiae plena, tibi caussam salutis meae commendo: exhibe animam meam ex corpore profectam summo regi, ut a te commendata ipsi placeat.

O sancta Maria, mater misericordiae! Descendat in animam meam illa tua clementia virginalis, ut vel mortis acerbitas mihi dulcescat, neve timeam, etsi peccata mea montis instar contra me existant.

O sancta Maria, patrona mea ante thronum Dei! illos tuos misericordes oculos ad me converte, clientem tuum, neve desit mihi die malo tua mansuetudo.

O sancta Maria, ad te clamo, ad te suspiro, te desidero. te ex animo concupisco! Te duce perveniam ad illum, quem diligo, quem quaero, quem semper amavi, quocum esse velim per sempiterna saecula. Ne concesseris, ut immensus ille quem pro me servando filius tuus subiit labor sit inanis. Fiam revera salvus cruce ac morte Jesu Christi, Dei veri. Amen.

VII. DIE SABBATI.

O sancta Maria, vera lux, quae separata fuisti a tenebris, vera domini nostri quies, non post creatum, sed ante renovandum mundum. Tu, dulcis aeterni sabbati praesensio, ora filium carissimum tuum, ut, quum desierint dies mei, in aeterna me tabernacula recipiat.

O sancta Maria, mater Dei, sicut tu ex ulnis Simeonis in templo filium tuum repraesentatum recepisti, ita animam meam hora mortis ex ulnis tui recipiat Jesus Christus, salus mea.

O sancta Maria, dulcissima virgo, quemadmodum tu, jamjam moritura, mirum quantum gaudebas, quum Dei patris vocem audiebas: «Veni, sponsa mea, veni, coronabere!» ita ora, ut Jesus Christus me in extrema pugna non destitutum placato vultu consoletur: «Veni, dicens, veni, coronabere.»

O sancta Maria, felix mater, quae tuum effectorem utero gestabas; mihi opem fer in doloribus

mortis versanti, ut in me, etsi indignum, per sanctum sacramentum intret divinus fructus ventris tui, Jesus.

O sancta Maria, benigna regina coeli, sicut filius tuus in cruce pendens te dominam servo, matrem discipulo commendavit dicens: «Mater, ecce filius tuus,» et ex illa hora Joannes te ut matrem accepit: sic morientem me repraesenta filio tuo, ut me suscipiat servum, sic me custodiat angelus domini, ut salva restituatur anima mea auctori suo.

Sancta Maria, sicut sacrosancta trinitas purissimam animam tuam ex corpore excedentem cum gaudio totius curiae coelestis excepit, ita meam quoque excipiat Deus pater, qui eam creavit, filius, qui liberavit, spiritus sanctus, qui eam vi baptismi sanctam reddidit.

Sancta Maria, dulcedo te diligentium, dispensatrix gratiarum, oratrix divinae veniae, in qua totam spem posui! Quum me aliquando vires corporis defecerint, quum dies repleti erunt gemitibus, tum fer auxilium de sacrario et de Sion tuere me, esto mihi valli et turris instar contra inimicum.

O sancta Maria, princeps gloriae, quae in coelo lumine, sicut vestimento, amicta totum coelum illustras, aeternos triumphos agis, summo patri me repraesenta, aeterno filio me reconcilia, sancto spiritui commenda, ne me a te, pia matre, sinas separari. Namque corpus et animum, vitam et spiritum, cor et membra, omnes denique sensus ac vires commendo Jesu Christo tui amantissimo. Verum enim exspirabo poenitenti animo dicens: **Jesus, Maria, Joseph!**

† CANTICUM B. MARIAE.

Magnificat * anima mea dominum.

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria patri etc.

---

† ANTIPHONAE MARIANAE.

I.

Ad vesperis sabbati ante dominicam 1. adventus usque ad Purificationem inclusive dicitur:

Alma redemtoris mater, quae pervia coeli
Porta manes et stella maris, succurre cadenti
Surgere qui curat populo, tu quae genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum genitorem,
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud «ave,» peccatorum miserere.

Adventu. ℣. Angelus domini nunciavit Mariae,

℟. Et concepit de spiritu sancto.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, domine, mentibus nostris infunde, ut qui, angelo nunciante, Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur: per eundem Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.

A primis vesperis nativitatis et deinceps dicitur:

℣. Post partum, virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei genetrix, ora pro nobis.

Oremus.

Deus, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti, tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum.

℟. Amen.

II.

A tertia die Februarii usque ad feriam V. in coena domini excl.

Ave, regina coelorum!
Ave, domina angelorum!
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta!

Gaude, virgo gloriosa,
Super omnes speciosa,
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te, virgo sacrata,
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium, ut, qui sanctae Dei genetricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus: per eundem Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.

III.

A completorio subbati sancti usqae ad nonam sabbati post pentecosten incl.

Regina coeli, laetare, alleluja,
Quia quem meruisti portare, alleluja,
Resurrexit, sicut dixit, alleluja,
Ora pro nobis Deum, alleluja.

℣. Gaude et laetare, virgo Maria, alleluja,
℟. Quia surrexit dominus vere, alleluja.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem filii tui domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es, praesta, quaesumus, ut per ejus genetricem virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae: per eundem Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.

IV.

A primis vesperis festi trinitatis usque ad Adventum:

Salve regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra salve!

Ad te clamamus exules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genetrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui gloriosae virginis, matris Mariae, corpus et animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, spiritu sancto cooperante praeparasti, da, ut cujus commemoratione laetamur ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur· per eundem Christum dominum nostrum.

℟. Amen.

CULTUS SS. CORDIS BEATAE V. MARIAE.

Carmen sacrum.

Quem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, praedicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariae bajulat.

Cui luna, sol et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa coeli gratia
Gestant puellae viscera,

Beata mater munere,
Cujus supernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.

Beata coeli nuntio,
Fecunda sancto spiritu,
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.

O gloriosa virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Eva tristis abstulit
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles,
Coeli recludis cardines.

Tu regis alta janua,
Et aula lucis fulgida,
Vitam datam per virginem,
Gentes redemptae, plaudite!

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et almo spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Venantius Fortunatus.

O cor Mariae, quae est mater Jesu ac nostra mater! O cor summo amore dignum, voluptas atque gaudium s. s. trinitatis! Vere dignum es, quod et ab angelis et ab hominibus tenerrime colaris. O sacrum cor, Jesu simillimum, cujus es perfectissima imago! O cor bonitate in nos et misericordia aerumnarum nostrarum abundans. Utinam animos nostros, frigore penitus dissoluto, omnino ad exemplum divini vindicis nostrae salutis conformes. Imbue animos amore virtutis illoquo quo continuo ardes igne accende. Amplexa deinde sanctam ecclesiam defende. Sis ei contra omnes hostium incursus asylo et invicto praesidio. Sis nobis iter, quo ad Jesum contendamus, et quidam canalis, per quem necessarias accipiamus gratias. Sis nobis tempore necessitatum auxilio, aerumnarum solatio, tentationum robori; sis contra hostes refugio, in omnibus periculis adjumento. Praecipue vero in ultimo nobis adsis proelio, formidando illo temporis puncto, in quo nostra aeternitas posita est, quando generis humani hostis rapturus nos contre nos irrumpet. Tunc materna nos dulcedine foveas, tunc demonstres nobis, te matrem nihil apud Jesum non valere, quo laetiores tibi et filio tuo cum sanctis sociati benedicamus in omnia saecula. Amen.

Utinam semper et ab omnibus agnoscatur, laudetur, colatur, diligatur divinum cor Jesu Christi et integerrimum matris Mariae! Amen.



PARS SEXTA.

Salutatio ss. angelorum.

Carmen sacrum.

Christe, sanctorum decus angelorum,
Gentis humanae sator et redemptor,
Coelitum nobis tribuas beatas
  Scandere sedes.

Angelus pacis *Michaël* in aedes
Coelitus nostras veniat: serenae
Auctor ut pacis lacrimosa in orcum
  Bella releget.

Angelus fortis *Gabriel* ut hostes
Pellat antiquos et amica coelo
Quae triumphator statuit per orbem
  Templa revisat.

Angelus nostrae medicus salutis
Adsit e coelo *Raphaël*, ut omnes
Sanet aegrotos, dubiosque vitae
  Dirigat actus.

Virgo, dux pacis genetrixque lucis,
Et sacer nobis chorus angelorum

Semper assistat, simul et micantis
Regia coeli.

Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

Rabanus Maurus.

Quanta in nos es benignitate, optime Deus, qui vel sanctos angelos ad custodiendos et ducendos nos emittis. Qui cum festinatione et amore alati ad nos festinant, nosque tua causa ut fratres et futuros communis patriae cives diligentes tanquam manibus portant, ne offendamus pedes ad lapidem neu damnum capiamus. Ipsorum igitur exempla imitantes, quandocunque et quantumcunque possumus, bonum faciamus, malum detestemur, tuam voluntatem exsequamur, omnibus opitulemur et benefaciamus, in eisque rebus summam oblectationem ponamus. Atque sicut in coelo summus ordo sanctissimaque legum observatio reperitur, ita fac, et nos cum concordia vivamus, angelisque ducibus, in coelum perveniamus. O gaudium et laetitiam, quando a vobis ducti, o sancti angeli Dei, perficiam iter ad coeleste regnum, ubi plenam requiem oblectationis reperiam! Tunc perennes vobis agamus gratias et Deo, quo auctore nos protexistis.

Deus, qui miro ordine angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut, a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his

in terra vita nostra muniatur: per dominum nostrum Jesum Christum etc. Amen.

SALUTATIO SANCTI ANGELI CUSTODIS.

Saluto te per suavissimum cor Jesu Christi, o sancte angele Dei, princeps nobilis, custos fidelis, cui me gubernandum divina bonitas tradidit. Namque quantum tibi debeo, qui indignum me ex tot annis, tamque fidelis foves et animi corporisque salutem suppeditas! Commendo me tibi, ut adversus pessimum hostem te duce incolumis conserver et in gratia Dei usque ad extremum spiritum constans perseverans tecum in coelo dominum nostrum laudem in aeternum. Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum caritate fraterna illumina, custodi, rege, guberna!

Deus, qui ineffabili providentia sanctos angelos tuos ad nostram custodiam mittere voluisti, praesta nobis supplicibus, ut eorum et protectione semper defendamur et aeterna societate gaudeamus: per dominum nostrum Jesum Christum etc. Amen.

IMPLORATIO S. MICHAELIS.

Dux clarissime coelestis exercitus, sancte Michaël archangele, qui seditiosum luciferum cum foedissimis sociis fusum fugatumque tartareas ad tenebras depulisti; patrone et advocate ecclesiae militantis, subveni populo Dei, defende ecclesiam tibi commissam ab omnibus insidiis adversariorum.

Patrone et custos animarum ex hac vita exeuntium! Si quando extremos spiritus ducam, opitule-

ris, rogo, animae meae, quam tibi nunc supplex commendo. Eam igitur, quum mortem superaverit, in tuam custodiam benigne susceptam ad coelestia gaudia perduces, ubi Deo cum omnibus angelis in sempiternum benedicat et immortales gratias agat. Amen.

IMPLORATIO S. JOSEPHI.

Carmen sacrum.

Iste, quem laeti colimus fideles,
Cujus excelsos canimus triumphos,
Inclitus Joseph meruit perennis
Gaudia vitae.

O nimis felix, nimis o beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Christus et virgo simul astiterunt
Ore sereno.

Hinc stygis victor, laqueo solutus
Carnis, ad sedes placido sopore
Migrat aeternas, rutilisque cingit
Tempora sertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adsit ut nobis, veniamque nostris
Obtinens culpis, tribuat supernae
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores,
Trine, qui regnas Deus, et coronas

Aureas servo tribuis fideli
Omne per aevum. Amen.

Incogniti auctoris, nescio an ipsius summi pontificis Urbani VIII.

Pio animo ad te accedens, sancte Josephe, fidelis altor Jesu, in omnibus hujus vitae aerumnis et necessitatibus te intercessionem rogo. Confidenter credo, te apud Denm, qui te elegit ad alendum suum filium unigenam, permultum valere. O te felicem et beatum, qui coelestem puerum cum virginali matre ab inimicorum saevitia servabas et laborum assiduitate nutriebas! Qui Jesum tota pueritia paterna sollicitudine custodiebas: me quoque ejusdem Jesu gratia alumnum acceptum in omnibus miseriis adjuva. Namque immensa benevolentia Jesu, qui te in terris patris loco habuerat atque coluerat, tibi nunc in coelo laetanti nullam precem negabit. Immo innumerabiles religiosi christiani, qui ad tuas preces confugerant, quam efficax esset tua intercessio, cum ingenti suo gaudio experti sunt.

Qua de caussa ego quoque ad te confugio, dignissime altor Jesu Christi, caste sponse Mariae! Atque per illum amorem Jesu et Mariae, quo ardebas flagrantissimo, me consoleris, quaeso, in omnibus angustiis. Etenim ab eo, qui pro filio tuo voluit in terris haberi, vel una voce quod petis impetras. Agedum ergo, intercede pro me, ut votorum damnatus Jesu et tibi gratias agam laetissimas.

ALTERA SUPPLICATIO.

O sancte Josephe, qui in suavissimo Jesu Christi et dulcissimae sponsae Mariae complexu ex hac vita emigrabas, succurre mihi cum Jesu et Maria tunc potissimum, quando mors vitae meae finem imponet. Illud, sancte pater, quod unice peto, solatium mihi impetra, ut in eisdem sanctissimis Jesu et Mariae brachiis exspirem. Manibus vestris vivens et moriens commendo animum meum. *Jesu, Maria, Joseph*, ut finita hac vita vestris auspiciis novam incipiam in coelesti palatio. Amen.

IMPLORATIO SS. APOSTOLORUM.

Praedicamus et celebramus te, potentissime, aeterne Deus, qui nos per sanctos apostolos tuos ad cognoscendam majestatem tuam vocaveris. Quorum nobis suffragatione adjutis tribue, ut tuae doctrinae tum nunc fideles adhaereamus, tum usque ad finem perseveremus. In omnibus vero ecclesiae praefectis illam qua apostoli splenduerant excita sanctitatem Tuere universam per orbem terrarum ecclesiam, divinae disciplinae praeconibus auxiliare, tuae veritatis lumen ubique terrarum diffunde. Converte peccatores, illustra errantes, reduc lapsos ad veritatem et virtutem, ut te omnes vere cognitum vitae sanctitate colant. Gratiam tuam nobis tribue, ut apostolos aemulantes nostra vocatione digni vivamus, peccatum detestemur, illecebras carnis et mundum flocci habeamus, coelestia anquiramus, fidem servemus, tibi denique grati parmanentes illuc perveniamus, ubi te possidebimus cum Jesu Christo, filio tuo, qui tecum vivit et regnat in aeternum. Amen.

Te, domine, supplices exoramus, ut ne gregem tuum, pastor aeterne, deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias, ut eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores. Amen.

IMPLORATIO S. FRANCISCI XAVERII.

Deus O. M., ad propagandam ecclesiam s. Franciscum Xaverium et excitasti, et praeclarissimis virtutibus exstruxisti, et in remotissimas orbis terrarum regiones misisti, ubi nomen tuum coram regibus et nationibus celebraret. Is vero mirum quantum gratiae datae respondit. Quot enim et quam incredibilia terra marique subiit pericula! Quanta fuit in tolerandis laboribus et aerumnis patientia! Quanta in fame et siti, frigore et aestu constantia! Qua in acerbissimis persecutionibus et summis doloribus tranquillitate! Etenim, peragratis terris maribusque, et Indis et extremis illis Japonibus tuam doctrinam et ipsius ope aeternam salutem tulit. Per ea sanctissimi viri praeclare facta te rogo, mi Deus, ut tua gratia mentem meam illumines et voluntatem ad imitandum praestantissimum illud exemplum inflammes.

Domine Jesu Christe, qui omnes homines liberaturus crucem passus es omnesque vis salvos fieri, intercedente beato Francisco Xaverio, revoca haereticos, ethnicos, omnes denique, qui ab ecclesia sunt alieni, ad veritatem catholicam, ut te cognoscant, Deum verum. Eos vero, qui adhuc tuum lumen nationibus barbaris oblaturi orbem terrarum emetiun-

tur, largissimis spiritus sancti donis illumina, confirma, inflamma, consolare. Tu benedic verbis eorum, ut omnes gentes participes existant tuae mortis, Jesu Christe, qui vivis et regnas cum Deo patre et spiritu sancto in aevum sempiternum. Amen.

IMPLORATIO S. ALOYSII DE GONZAGA

Carmen sacrum.

Festa Gonzagae celebrent per orbem
Virgines sanctae, juvenesque puri;
Angelum coelo peperit stupenti
Aemula tellus.

Matris hic nondum resolutus alvo
Fonte baptismi puer expiatur:
Inde non vidit maculatus ullo
Crimine solem.

Pulveris furtum puerile, turpes
Inscio lapsas sine mente voces
Flevit, et sacrum reus ad tribunal
Corruit insons.

Virginis magnae pedibus novennis
Lilium cordis niveum sacravit,
Quod novo semper nitidum decore
Intulit astris.

Carnis haud passus stimulos rebelles
Ferreos carni stimulos adegit.

Quae famem ludat, satis una tantum
  Uncia pascit.

Certus, excusso sibi principatu,
Coetui nomen dare Loyolaeo,
Patris expugnat veniam profuso
  Sanguinis amne.

Tres adhuc annos agit et viginti
Cum luem passo famulatus aegro,
Hujus afflatu pia caritatis
  Victima languet.

Proximus leto, precor o flagellis,
Inquit, hos artus aliquis cruentet;
Restat hoc unum, satis ut beata
  Morte resolvar.

Mira quis narret? Tremefecit orcum
Parvus; arsuro sapiens pepercit
Flamma; mergendum venerata ripae
  Reddidit unda.

Fac, tuus nobis sine labe candor
Incitet sancti studium pudoris:
Fac tuos coelo recipi clientes,
  O Aloysi.

Debitum patri decus increato:
Et tibi verbum deiforme patris:
Quique procedens Deus ex utroque
  Nectis utrumque. Amen.

Incogniti auctoris.

Sancte Aloysi, qui angeli modo vitae innocentia splendueras, ego indignissimus cliens tuus animi corporisque castitatem tibi singulariter committo. Per coelestem illam qua praestabas te rogo puritatem, ut Jesu Christo, agno innocentissimo, et beatae Mariae, praeclarissimae virgini, me commendatum defendere velis ab omni graviore peccato. Ne sinas me, quaeso, unquam impuritatis macula inquinari; contra, quando me tentatum vel peccandi periculo circumventum videris, ab animo meo cogitationes et affectus turpes arceas. Nec non crucifixi memoria et aeternitatis timore excitatis, tum salutari divinae justitiae metu, tum divinae caritatis igni me contine, ut imitatus te in terra aliquando merear tecum Deo beate frui in coelo. Amen.

Adde Pater noster et Ave Maria.

N. B. Pius VII, summus pontifex, anno 1802, omnibus saltem poenitenti animo eas preces recitantibus indulgentiam 100 dierum, quos etiam in defunctos transferri liceret, concessit.

N. B. De sex dominicis Aloysianis vide quae supra diximus parte tertia p. 93 sq.

IMPLORATIO SS. PATRONORUM.

Obsecro vos, o patroni mei N. N., ut pro me indigno peccatore ipsi Deo supplicare velitis, ut fraudibus inferorum et aeterna damnatione liberer. Ergo adjuvate me hodie et quotidie precibus et meritis vestris; impetrate mihi a Deo cunctorum veniam

peccatorum, victoriam tentationum, gratiam sancti spiritus, quae omnia opera, quae faciam, bene disponat, corpus regat, animum protegat et ad pulcrum finem perducat. Amen.

---

† LITANIAE OMNIUM SANCTORUM

dicuntur in sacris supplicationibus ac necessitatibus publicis.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, miserere nobis.
Fili, redemtor mundi, Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte, Deus, miserere nobis.
Sancta trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genetrix, ora pro nobis.
Sancta virgo virginum, ora pro nobis.
Sancte Michaël, ora pro nobis.
Sancte Gabriel, ora pro nobis.
Sancte Raphaël, ora pro nobis.
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes sancti patriarchae et prophetae, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora pro nobis.

Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Saucte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

} Ora pro nobis.

Omnes sancti apostoli et evangelistae, orate pro nobis.
Omnes sancti discipuli domini, orate pro nobis.
Omnes sancti innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti ora pro nobis.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule, orate pro nobis.
Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis,
Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis.
Omnes sancti martyres, orate pro nobis.
Sancte Silvester, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, ora pro nobis.
Sancte Augustine, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.

Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Nicolae, ora pro nobis.
Omnes sancti pontifices et confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Sancte Francisce, ora pro nobis.
Omnes sancti sacerdotes et levitae, orate pro nobis.
Omnes sancti monachi et eremitae, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.

Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
} Ora pro nobis.

Omnes sanctae virgines et viduae, orate pro nobis.
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis domine.
Propitius esto, exaudi nos domine.
Ab omni malo libera nos domine.

Ab omni peccato
Ab ira tua
A subitanea et improvisa morte
Ab insidiis diaboli
Ab ira et odio et omni mala voluntate
A spiritu fornicationis
A fulgure et tempestate
A morte perpetua
} Libera nos domine.

Per mysterium sanctae incarnationis tuae
Per adventum tuum
Per nativitatem tuam
Per baptismum et sanctum jejunium tuum
Per crucem et passionem tuam
Per mortem et sepulturam tuam
Per sanctam resurrectionem tuam
Per admirabilem ascensionem tuam
Per adventum spiritus sancti paracliti
In die judicii

Libera nos domine.

Peccatores: te rogamus, audi nos.

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare, et conservare digneris,

Te rogamus, audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleïson.

Christe eleïson.

Kyrie eleïson.

Pater noster. Secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende; * domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et ernbescant * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te * et dicant semper: magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum, * Deus, adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu, * domine, ne moreris.

Gloria patri etc.

Sicut erat etc.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, domine, turris fortitudinis:

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus, domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo tuo pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut, te donante, tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potcst, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti spiritus renes nostros et cor nostrum, domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor et redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peecatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus domine. aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumqne misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per dominum nostrum Jesum Christum etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

PRECES AD OBTINENDOS BONOS SACERDOTES
imprimis quattuor temporibus facies.

O Deus, qui ad conservandam et augendam ecclesiam dignitatem instituisti sacerdotalem, te bonos sacerdotes rogamus. Etenim per filium tuum Jesum Christum edocti, messem quidem esse magnam sed operariorum numerum nimis exiguum, jussique dominum messis orare, ut bonos ad metendum mitteret operarios, sacrae tuae voluntati obsequimur rogantes, ut probos sacerdotes sanctae ecclesiae tuae tribuas. Ipse vero eos emitte, ne quis a te non vocatus ovibus potiatur. Ipse deinde pueros et adolescentes, qui aliquando sacerdotio functuri sunt, jam nunc sic instrue, ut in contemplanda divina disciplina singulariter delectentur, te unice diligant, terrestria despiciant. Imbue illos et virtute et scientia, inflamma illos flagrantissimo tui ecclesiaeque tuae amore, ut indefessi summis studiis exquisitaque prudentia opus faciant. Ipsos denique verbo et opere fac gregis exempla. Id te rogamus per Jesum Christum, summum pastorem nostrum. Amen.

PRECES PRO PAPA RECITANDAE.

Ingentes tibi gratias ago, princeps pastorum et aeterne pontifex, domine Jesu Christe, qui Petrum apostolum ceterosque romanos pontifices, ei recto ordine succedentes, tui sacri ovilis pastores ecclesiaeque principes instituisti, quique super hanc petram aedificasti ecclesiam, ut vel inferi nihil contra eam valeant.

Rogo majestatem tuam, qui non jam Moysi, sed Petri sacrae sedi auxilio es, ut praesentem hunc pontificem N. ecclesiae tuae salvum et incolumem custodias atque de catholicae fidei hostibus magnificentissimos facias agentem triumphos.

Quas vero claves regni coelorum huic tuo vicario summoque orbis terrarum pastori concessisti, a nobis omnibus facias efficaces ad plenam peccatorum remissionem, ad indulgentiam poenarum, ad obtinendam articulo mortis absolutionem pontificiam. Haud frustra enim a te Petro successoribusque scimus hoc promissum:

«Tibi dabo claves regni coelorum: quidquid solveris super terram, erit solutum et in coelis; et quidquid ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis.»

Benedico tibi, domine Jesu, quod tam eminentem principi episcoporum largitus es potestatem, quod per illum ecclesiam concordem conservas, impias doctrinas exstirpas: qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti per omnia saecula. Amen.

PRECES PRO EPISCOPO DICENDAE.

Singulare est munus divinae providentiae tuae, Jesu Christe, quod post summum ecclesiae pontificem, majoris minorisve potestatis nobis praefecisti antistites, videlicet episcopos, quos inde ab ipsis apostolis institutos habemus, ut res populi sacri ad animorum salutem pertinentes ubique gentium administrent.

Qui illos audit, is nimirum te, Christe, audit; et te cum patre spernit qui illos spernit.

Concede, pastor optime maxime, antistites nobis secundum voluntatem tuam perpetuo praefici, qui gregem tuum tam caro pretio redemtum pascant cum justitia et veritate, quique verbo simul et exemplo suo munere fungantur ad tui nominis gloriam et ovium salutem.

Nos vero sub talibus pastoribus, qui legitime vocati atque missi per ostium ingrediuntur, fac oves obedientes, qui reverentiam et obedientiam praepositis debitam ex animo praestent. Amen.

PRECES PRO REGIBUS AC PRINCIPIBUS ADHIBENDAE.

Potentissime idemque aeterne Deus, rex regum et domine dominantium, penes quem sunt omnium potestates et jura regnorum ac magistratuum: tibi laus et gloria, qui reges, principes, magistratus non solum instituis, sed institutos etiam continuo conservas ad rempublicam christianam feliciter gubernandam, ad tuendos bonos, ad terrendos malos, ad pub-

licam pacem populique tranquillitatem conservandam atque administrandam.

Et quia tu es principum dominus, gratiam illis tuam impertias, ut sint quales tu eos esse postulas, videlicet justitiae amantes, in judiciis ferendis incorrupti, in legibus observandis acerrimi, in defendendis pauperibus et viduis religiosissimi.

Fac eos praesertim sinceros fidei catholicae vindices; qui contra improbos jure gladii sibi commissi convenienter utantur.

Fungantur, domine, propter nomen tuum officiis suis, ut vere sint tui et justitiae ministri, nos vero sub imperio illorum quieti et securi vivamus, tibique caste et pie et fideliter serviamus: qui vivis et regnas omnium judex ac dominus in sempiterna saecula. Amen.

SUPPLICATIO PRO ADVERSARIIS ECCLESIAE FACIENDA.

Deus, christianae pacis caritatisque auctor et custos, qui per filium tuum unitatem ecclesiae maxime commendasti eamque a discipulis tuis religiosissime cóli voluisti, potenter conserva et defende nos adversus perturbatores et hostes illius concordiae, sive clandestinos, sive manifestos.

Miserere omnium, obsecro, qui se ab ecclesiae unitate ipsi separaverunt, novis sectis addicti, pestiferisve erroribus inducti, vel qui, ecclesiae auctoritate spreta, novas opiniones tuentur.

Ignosce illis, domine, quia quid faciant nesciunt, aut, si sciant, tamen non satis secum reputant,

quod et quantum sit scelus, per membra et praefectos te, caput ecclesiae, persequi, semetipsos a corpore tuo, quae est ecclesia, abscindere et quasi tuam tunicam non consutam sacrilege lacerare.

Illorum igitur mentes, pestifera caligine occaecatas, tu, qui vera lux es mentium, clementer illustra, ut cognitis erroribus cum poenitentia tibi et ecclesiae, extra quam non est salus, reconcilientur.

Tu, qui Paulos et Augustinos ad veritatem duxisti quique ex Thoma non credente credentem effecisti, tu, profligatis hominum audacia et temeritate, vel ex inimicissimis ecclesiae fideles liberos paries. Amen.

PRECES PRO CONVERSIONE PECCATORUM FUNDENDAE.

Aeterne rerum omnium effector, Deus, memento, a te animas peccatorum esse procreatas easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, domine, in opprobrium tuum his ipsis tartarus impletur. Memento, Jesum, carissimum filium tuum, pro illorum salute atrocissimam subisse necem; noli, quaero, domine, amplius permittere, ut filius tuus a peccatoribus contemnatur, sed precibus sanctorum virorum et ecclesiae, sanctissimae filii tui sponsae, placatus, recordare misericordiam tuam et oblitus malitiae eorum, effice, ut ipsi quoque agnoscant, timeant ac diligant tandem aliquando quem misisti, dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per

quem servati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula. Amen.

(Secundum s. Franc. Xav.).

PETITIO CASTITATIS.

Carmen sacrum.

Jesu, corona virginum,
Quem mater illa concipit,
Quae sola virgo parturit,
Haec vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,
Septus choreis virginum.
Sponsus decorus gloria
Sponsisque reddens praemia.

Quocunque tendis, virgines
Sequuntur atque laudibus,
Post te canentes, cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices,
Nostris ut addas sensibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo patri cum filio,

Sancto simul paraclito,
In saeculorum saecula.

Incogniti auctoris.

Coram tua majestate, mi Deus, genibus provolutus me confiteor quum nullam ceterarum virtutum, tum omnium minime castitatem ex me posse efficere, nisi tua divina potentia adjuver. Quin adeo me ex me ipso scio igni quodam impuro flagrare, qui, nisi tua bonitate exstinctus sit, ad perniciem usque animum meum exurat. Quare quum non ignorem ex me ipso me nihil esse, nisi fragilem peccatorem, a te assiduis precibus auxilium petam. Tu dirigas gressus, tu modereris animi commotiones, tu temperes voluntatem, tu mundes memoriam, tu totum me possideas, tu omnem immundum ardorem penitus in animo meo exstinguas. Noli oblivisci, sancte pater, ad tuam me esse creatum imaginem! Noli oblivisci, dulcissime Jesu, ob quod hominum scelus foedissime fueris flagellis caesus, spinis coronatus, vestibus exutus! Noli oblivisci, sancte spiritus, a te me habitari, tanquam domicilium tuum, mihique tua dona in sacro baptismo infusa esse.

Deus, sicut tribus pueris Babylone mitigasti flammas ignium, ita nobis propitius concede, ne flammis vitiorum exuramur: per Christum, dominum nostrum. Amen.

PETITIO CARITATIS.

Domine Jesu Christe, omnium hominum atque adeo inimicorum amantissime! Qui me jussisti om-

nes caritate complecti, amicos et inimicos, deleta in animo quaque ultionis cupiditate, me fac tui exempli aemulum. Imbue me illa sacra qua tu ardebas caritate, qua non actus nihil porro faciam. Immo fac, ut omnibus omnia fiam propter nomen sanctum tuum. Amen.

PETE EX SS. TRINITATE BONAM MORTEM.

Media vita in morte sumus:
Quem quaerimus adjutorem nisi te, domine
Qui pro peccatis nostris juste irasceris?
Sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors salvator:
Amarae morti ne tradas nos.

Pater aeterne, per vitam et mortem carissimi filii tui perque intimam misericordiam tuam te rogo gratiam, ut in bonis operibus perseverans tuaque caritate ct gratia non orbatus moriar.

Pater noster.

Bone Jesu, per caritatem aeterni patris et quae ultima in cruce dixisti verba, quum animam tuam patri commendabas, te rogo, suscipias animam meam fine vitae meae.

Pater noster.

Spiritus sancte, Deus, miserere mei neve unquam, omnium minime vero hora mortis tua divina inspiratione mentem meam destituas.

Pater noster.

Sancta trinitas, unice Deus, miserere mei nunc et hora mortis meae! Amen.

TESTAMENTUM CHRISTIANUM.

In nomine ss. trinitatis. Amen.

Quoniam mihi miserrimo peccatori mors ipsa est certissima, hora mortis incertissima, ideo nunc, dum mente valeo, coram te, o sanctissima trinitas, ultimam voluntatem meam, qua ratione vivere ac mori cupiam, sic declarabo, ut id in aeternum maneat firmum, ratum, immutabile testamentique loco habeatur.

1. Optima forma modoque efficacissimo lego, adscribo et integre trado tibi, o ss. trinitas, corpus et animum et omnia quae toto vitae curriculo feci opera; nec non summas tibi ago et immortales gratias, quod bonis infinitis et corpus et animum meum tum universe tum in specie affecisti; qua de caussa profiteor, ut tu solus mei habeas potestatem, teque solum et extra te nullum agnoscam dominum.

2. Omnia quae habeo bona, omnes tam corporis quam animi gratias tibi domino, Deo meo, soli adscribo, atque confiteor, ex immensa tua benignitate infinite plus donorum mihi obtigisse, quam meritus fuerim, quamobrem nunc et in aeternum infinitas tibi agere gratias non desinam.

3. Veram cum omnibus ac singulis articulis fidem constanter credo et, sicut sancta ecclesia romana te-

scribo, atque confiteor, ex immensa tua benignitate infinite plus donorum mihi obtigisse, quam meritus fuerim, quamobrem nunc et in aeternum infinitas tibi agere gratias non desinam.

3. Veram cum omnibus ac singulis articulis fidem constanter credo et, sicut sancta ecclesia romana tenet et profitetur, ego quoque teneo et profiteor. Atque adeo malim vitam perdere ac sanguinem, quam vel unum verae fidei ariiculum negare. Quod si forte puncto mortis, vel inferorum fraudibus deceptus vel meo errore inductus, dicam faciamve, id nunc declaro irritum et invalidum, atque, ne fiat, etiam atque etiam tuam, mi Deus, exoro potentiam, sapientiam, bonitatem.

4. Omnia peccata. quovis modo vel tempore deliqui, ad unum usque detestor, idque solo tui actus amore, mi Deus clementissime; veltem si possem, ista, sexcenties magis dolere, quam nunc doleo. Ad supplendum vero illum, quem habere convenit, dolorem tibi poenitentiam offero eorum omnium, quos vere summeque peccatorum poenituit, itemque firmae voluntatis sum, te nunquam amplius offendendi, omnis poenae, quam in me immiserit justitia tua, patienter sustinendae, tibique quantum possum satisfaciendi.

5. Sed quia omnis mea satisfactio nequaquam sufficit, immensam illam tibi offero meritorum Jesu multitudinem: vitam, crucem et mortem ipsius. Atque ipsius sacris vulneribus mea quasi abscondens scelera te rogo, ut ea pretiosissimo Jesu Christi sanguine abluas et quo ipse flagravit caritatis istis quodam modo comburas.

6. Quoscunque deinde verbis factisve unquam offendi, eos humili animo veniam rogo paratusque sum ad compensandam illis quodlibet honoris bonorumve damnum. Contra omnibus, a quibus ego fui offensus, ex animo injuriam et vindictam remitto, quemadmodum Jesus Christus in cruce pendens inimicis non solum ipse ignovit, sed patris etiam veniam imploravit.

7. Agnosco et profiteor, me ex mea virtute meisque bonis operibus coelum nequire adipisci; contra sola infinita misericordia tua et salutari Jesu Christi morte confido; id vero cum tali fiducia, ut ne minima quidem ex parte in me admittam metum, ne unquam in aeternum condemner, quippe qui sciam, tuam misericordiam et veniam a Christo meritam infinite meis peccatis esse majores.

8. Me ipsum cum omnibus bonis ac facultatibus et viribus integerrime tuae sanctissimae voluntati trado et committo, id solum omnibus votis exoptans, ut, tam mecum vivente et moriente, quam in universo mundo, id quod tu vis semper fiat.

9. Diligo te, mi Deus, mi amor, et in aeternum diligere cupio, quia propter summam perfectionem et absolutionem summo omnium amore dignissimus es. Utinam te, ut dignus es, ita diligam! Utinam omnium sanctorum et angelorum affectus ego solus in me habeam! Sed quod ut convenit te nequeo diligere, saltem te supra omnia amare cupio, et si id non penitus cupio, tamen ut saltem id cupiam ex animo desidero.

10. Declaro denique, velle me mori, sicut vere ca tholicum decet, videlicet sancta confessione, commu-

tatem ac sententiam meam, secundum quam vivere ac mori volo. Desidero quoque, ut id testamentum ante et post mortem meam ratum fixumque maneat neve unquam mutetur:

Ego N. N., indignissimus homo.



PARS SEPTIMA.


MUSEUM

† Missa defunctorum.

N. B. *Quae hic non positae sunt partes missae, eas vide supra principio partis* 2. p. 34.

Introitus.

Requiem aeternam dona eis, domine, et lux perpetua luceat eis.

Ps. 64. Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem; exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

Requiem aeternam dona eis, domine, et lux perpetua luceat eis.

Oratio.

Fidelium Deus omnium conditor et redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: qui vivis et regnas cum Deo patre etc.

Altera oratio privato usui conveniens.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator! quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc

saeculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas: per dominum nostrum etc.

LECTIO

Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. I.

Fratres, ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Jesum Christum.

℟. Deo gratias.

Graduale. Requiem aeternam dona eis, domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. *Ps.* 111. In memoria aeterna erit justus, ab auditione mala non timebit.

Tractus. Absolve, domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum.

℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis,

℣. Et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Sequentia.

Dies irae, dies illa
Solvet saeclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulcra regionum
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet apparebit:
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus,
Cum vix justus sit securus?

Rex tremendae majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis!

Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae;
Ne me perdas illa die.

Quaerens me sedisti lassus;
Redemisti crucem passus;
Tantus labor non sit cassus.

Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tamquam reus
Culpa rubet vultus meus:
Supplicanti parce, Deus.

Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae;
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis:
Gere curam mei finis.

Lacrimosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus:

Huic ergo parce, Deus:
Pie Jesu domine,
Dona eis requiem! Amen.

Thomas de Celano.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. V.

In illo tempore dixit Jesus turbis Judaeorum: «Amen, amen, dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso; et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. Nolitè mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.»

Offertorium.

Domine Jesu Christe, rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne ab-

sorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer sanctus Michaël repraesentet eas in lucem sanctam:

Quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

℣. Hostias et preces tibi, domine, laudis offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus: fac eas, domine, de morte transire ad vitam,

Quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

Secreta.

Hostias, quaesumus, domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende, ut, quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium: per dominum nostrum Jesum Christum etc.

Altera secreta.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae, et animabus fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec sacramenta salutis nostrae, cunctorum remissionem tribue peccatorum: per dominum nostrum Jesum Christum etc.

Praefatio.

S. Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

S, Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo
S. Sursum corda.
R. Habemus ad dominum.
S. Gratias agamus domino Deo nostro.
R. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Coeli, coelorumque virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur supplici confessione dicentes:

Sanctus etc.

Communio.

Lux aeterna luceat eis, domine, cum sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

℣. Requiem aeternam dona eis, domine; et lux perpetua luceat eis: cum sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

Postcommunio.

Animabus, quaesumus, domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas et tuae redemptionis facias esse participes: qui vivis etc.

Altera postcommunio.

Praesta, quaesumus, omnipotens et misericors Deus, ut animae fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuae obtulimus majestati; per hujus virtutem sacramenti a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, te miserante, recipiant beatitudinem: per dominum nostrum Jesum Christum etc.

℟. Amen.

AD TOMBAM.

Libera me, domine, de morte aeterna in die illa tremenda, quando coeli movendi sunt et terra, dum veneris, judicare saeculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira, quando coeli movendi sunt et terra, dum veneris, judicare saeculum per ignem.

℣. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde, dum veneris, judicare saeculum per ignem.

℣. Requiem aeternam dona eis, domine, et lux perpetua luceat eis.

Libera me, domine, de morte aeterna in die illa tremenda, quando coeli movendi sunt et terra, dum veneris, judicare saeculum per ignem.

℣. Kyrie eleïson.

℟. Christe eleïson.

℣. Kyrie eleïson. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi
℟. Erue, domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace.
℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui (famulae tuae) N., quam de hoc saeculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis angelis suscipi et ad patriam paradisi perduci, ut, quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat: per Christum, dominum nostrum.

℟. Amen.
℣. Requiescat in pace.
℟. Amen.

LITANIAE DEFUNCTORUM.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Sancta Maria, ora pro eis.
Omnes sancti angeli angelorumque duces, orate pro eis.
Sancte Abel, ora pro eis.

Omnis coetus justorum, ora pro eis.
Sancte Abraham, ora pro eis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro eis.
Sancte Joseph, ora pro eis.
Omnes sancti patres et prophetae, orate pro eis.
Sancte Petre, ora pro eis.
Sancte Paule, ora pro eis.
Sancte Andrea, ora pro eis.
Sancte Joannes, ora pro eis.
Omnes sancti apostoli et Evangelistae, orate pro eis
Omnes sancti discipuli Domini, orate pro eis.
Omnes sancti innocentes, orate pro eis.
Sancte Stephane, ora pro eis.
Sancte Laurenti, ora pro eis.
Omnes sancti martyres, orate pro eis.
Sancte Silvester, ora pro eis.
Sancte Gregori, ora pro eis.
Sancte Augustine, ora pro eis.
Omnes sancti pontifices et sacerdotes, orate pro eis
Sancte Benedicte, ora pro eis.
Sancte Francisce. ora pro eis.
Omnes sancti monachi et eremitae, orate pro eis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro eis.
Sancta Lucia, ora pro eis.
Omnes sanctae virgines et viduae, orate pro eis.
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro eis.
Propitius esto parce eis, domine.
Propitius esto, libera eos, domine.
Propitius esto, libera eos, domine.
Ab ira tua, libera eos, domine.
A poenis severis, libera eos, domine.
A remorsibus conscientiae, libera eos, domine.

A diuturno moerore,
Ab immanibus tenebris,
Per nativitatem tuam,
Per dulcissimum nomen tuum,
Per crucem et perpessiones tuas,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per praeclaram resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per gratiam sancti spiritus consolatoris,
Die judicii,
Libera eos, domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut parentes, propinquos et benefactores ex flammis eripias, te rogamus, audi nos.

Ut omnium defunctorum miserearis, te rogamus, audi nos.

Ut praecipue eorum reminiscaris, quorum nemo est memor, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus ignoscas, te rogamus, audi nos.

Ut omnes in sede perennis gaudii constituas, te rogamus, audi nos.

Rex gloriae, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam,

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.

℣. Libera animas defunctorum.
℟. A poenis, quas sustinent.

Oremus.

Commendamus tibi, domine Jesu Christe, omnes defunctos, quibus adhuc sunt poenae pendendae, supplicesque te precamur, ut misericordiae et crucis tuae memor fructum salutaris mortis tuae eis impertias, qui vivis et regnas in aeternum.

℟. Amen.

PRECES PRO MODO DEFUNCTIS FACIENDAE.

Deus misericors, Deus clemens, qui peccata poenitentium deles et praeteritorum scelerum culpas venia remissionis dissolvis, respice mansuete in hunc famulum tuum N. (hanc famulam tuam) et me remissionem omnium peccatorum, quae fecit, rogantem audi. Renova in ipso, pater O. M., quidquid vel humana fragilitate corruptum, vel inferorum fraude violatum est, eumque plane expiatum unitati ecclesiae tuae sanctae restitue. Miserere, domine, miserere gemituum, quos edidit, lacrimarum, quas fudit; atque non habentem, nisi ex tua misericordia, fiduciam ad reconciliatorum tecum circulos admitte: per Christum, dominum nostrum. Amen.

Commendo tibi, potentissimo Deo, hunc fratrem carissimum (sororem carissimam), cujus es effector, ut, quum mortis debitum exsolvit, ad auctorem suum, a quo ex limo formatus erat, revertatur. Egressae igitur de corpore animae splendidus angelorum coetus occurrat, judex apostolorum senatus adveniat, candidatorum martyrum thriumphans exercitus approperet, liliorum instar florens confessorum

legio obviam procedat, laetantium virginum conventus succurrat. Mitis atque festivus Christi Jesu aspectus defunctae huic animae appareat, qui ipsam inter assistentium prope se numerum referat. Ignoret ipsa, quidquid horret in tenebris, quidquid stridet in flammis, quidquid cruciat in tormentis. Recedat ab ipsa immanis tartarei exercitus imperator; contra surgat Deus ad dissipandos et profligandos hostes. Eam liberet a cruciatu Christus pro nobis mortuus; constituat in ovium numero verus ille pastor. Ipse hanc animam omnium peccatorum absolutam inter agmina beatorum recipiat, ut aeternis fruatur gaudiis. Licet enim hic frater noster (haec soror nostra) peccaverit, tamen patrem et filium et spiritum sanctum non negavit, sed credidit et fideliter adoravit. Ne memineris igitur delicta, Jesu Christe, sed mortem pro omnium salute toleratam, cujus illum participem facias in aeternum. Amen.

PRECES PRO OMNIBUS DEFUNCTIS DICENDAE.

Miserere, qui es infinitae misericordiae Deus, omnium qui in loco poenarum purgantur christianorum. Perveniat tandem aliquando ad sedem majestatis tuae quem emittunt gemitus, audiatur quo ardent desiderium. Ut vero culpae, quae debetur divinae justitiae tuae, plane satisfiat, offero tibi quidquid carissimus filius tuus est in terris perpessus. Quae deinde ab illis neglecta fuerant, pro eis suscipe abundantiam bene a Jesu gestorum; quae ab illis tibi inferebantur injuriae, pro eis acceptos habe Jesu do-

lores et vulnera et tormenta; quas adhuc non dederunt poenas, eas exstingue propter Jesu mortem. Ipsius sanguis pretiosissimus, etiam pro defunctis effusus, sit, quaeso, ipsis piaculo, requieti, refrigerio. Ostende illis, domine, quam sis immensae misericordiae et incredibilis bonitatis atque locum praebe aeternae recreationis, ubi cum sanctis omnibus te sine fine laudent et efferant. Amen.

ALIAE PRECES.

O Jesu, vita et resurrectio nostra, qui discedens ex hac terra tuam nobis carnem edendam et sanguinem potandum reliquisti; per eum infinitum amorem supplico tibi, ut miserearis defunctorum, praesertim N. N., eosque deducas ad illam mensam, ubi in aeternitate tecum coenant. (Luc. 22.).

O Jesu, defensor et salus nostra, qui tam diros nostra caussa in horto sustinuisti angores, ut sudorem guttis sanguinis similem ex sacro corpore tuo emitteres in terram; per eum tibi supplico pretiosissimum sanguinem, ut miserearis omnium defunctorum, praesertim N. N., eisque ex angustiis liberatis omnem lacrimam abstergas. (Apoc. 7.).

O Jesu, salus nostra, qui ob peccata nostra captus es; per durissima illa vincula tibi supplico, ut miserearis omnium defunctorum, praesertim N. N., ut, solutis illis quibus ob humanam fragilitatem implicabantur vinculis, laeti tibi sacrificent hostiam laudis. (Ps. 119.).

O Jesu, animorum laetitia, qui sacrosanctam faciem tuam, ad quam angeli suspicere desiderant, si-

visti velari et conspui et caedi; per eam admirabilem tibi supplico patientiam, ut omnes defunctos, praesertim N. N. misericordia prosequutus ad claritatem lucis tuae admittas et laetitia vultus tui impleas. (Ps. 15.).

O Jesu, corona et gloria nostra, nostra gratia flagellis caese spinisque ob nostram superbiam ignominiose coronate! Per summam illam humilitatem tibi supplico, ut omnes defunctos, praesertim N. N., misericordia affectos mox quodammodo corones misericordia. (Ps. 102.).

O Jesu, advocate et judex noster, qui iniquissimo judicio capitis damnatus nos aeterna morte liberasti; per illam, qua nihil est majus, tibi supplico misericordiam, ut omnes defunctos, praesertim N. N., venia donatos, mox facias audientes illam vocem plenam consolationis: «Dimissa est iniquitas vestra.» (Isai. 40.).

O Jesu, praeter quem neque majus neque omnino ullum est bonum, quique ipse corpore tuo peccata nostra tulisti! Per immensum beneficium salutis nostrae tibi supplico, ut veniam praestes omnibus defunctis, praesertim N. N.; mox aperias aditum paradisi laetaque vox fiat: «Venite, filii patris mei, ad possidendum regnum, quod vobis est praeparatum ante creatum mundum.» (Matth. 25.).

PRECES PRO DEFUNCTIS PARENTIBUS DICENDAE.

Deus, qui nobis praecepisti, ut patrem et matrem honoremus, suscipe has, quas pro ipsis tibi offero,

preces, eos peccatorum clementer absolve, ad aeternam beatorum omnium laetitiam admitte, meque cum illis in aeternitatis gaudio in sempiternum aevum conjunge: per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.



APPENDIX.



Via crucis.

1. Via crucis repraesentat illam viam, quam Jesus Christus, salus nostra, ex praetorio Pilati in locum, quem Calvariae dicunt, crucem portans emetiebatur, distribuique solet in XIV stationes.

2. Quicunque fecerit hoc pietatis exercitium, easdem lucratur indulgentias, ac si in ipsa sancta urbe Hierosolyma illam viam perfecisset. Id quod s. congregatio Cardinalium indulgentiis praefecta declaravit. Indulgentias vero etiam in defunctos conferri licet.

3. Quum ea via crucis privatim fit, sufficit ad lucrendas indulgentias *vel brevissimum tempus* meditandi singulas domini perpessiones singulis stationibus adscriptas.

4. Necesse denique non est, eatur ab hac ad illam stationem, sufficit enim levi inclinatione capitis oculos ab alia ad aliam convertere.

Exercitium viae crucis

*a sincera poenitentia incipias *).*

Ego, quo vix quisquam graviora peccata commiserit, coram tua majestate prostratus, te Deum meum

*) Instituimus hoc exercitium sic, ut etiam communiter possit recitari

profiteor et adoro. Te credo, ex te omnia me bona recepturum spero, te omnium optimum omnium maxime diligo. Quamobrem toto animo peccatorum, quibus contra tuam voluntatem egerim, me poenitet humiliterque a te veniam peto.

Quam ut impetrem, pater misericordiae, hoc sanctum exercitium peragere volo, cum pietate recordans acerbissimum illud quod filius tuus a praetorio Pilati ad montem Golgotham portans crucem emensus est iter. Cupio etiam quas possum lucrari indulgentias, quae quantum ipsi mihi opus sunt animae meae prosint, deinde etiam fratribus et sororibus defunctis *(praesertim N. N.* vel *in quos tu eas vis conferre).*

Placeat tibi, ss. trinitas, haec mea voluntas sitque aeternae laudi et gloriae. Amen.

STATIO I.

Jesus capite damnatur.

Contemplare, anima mea, Jesum in praetorium Pilati ductum. Ecce, clamant perversi Judaei: «crucifige! crucifige!» Pilatus innocentem condemnat. Jesus obedit usque ad mortem, ut ego habeam vitam. O Jesu, sit mihi vitae mors tua!

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu, qui ad Pilatum ductus es flagellatus, spinis coronatus, capite damnatus!

℟. Miserere nostri,
℣. A sententia mortis aeternae
℟. Libera nos, domine.
℣. Qui es innocens damnatus,
℟. Libera nos, domine.
℣. Peccatores
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Ut ad veram nos perducas poenitentiam,
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,
℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.
℣. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
℟. Parce nobis, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Audi nos, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Miserere nostri.

Oremus.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, puncto judicii perpessiones tuae, crux et mors tua mihi sint saluti. Effundas inde mihi gratiae misericordiaeque largitatem, ecclesiae incrementum, a catholica doctrina alienis conversionem, regibus et principibus concordiam, benefactoribus bona coelestia, morientibus beatum decessum, defunctis requiem aeternam: qui vivis et regnas in sempiterna saecula.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO II.

Jesus cruce oneratur.

Jesus educitur. Eece, imponitur crux sacris humeris, ligantur funibus sacrae manus, exit crucem portans, spineam coronam gestat, agni mansueti instar victima ducitur. O Jesu, tollam crucem tuam et sequar te. Ad id faciendum da gratiam.

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu, qui eductus es in montem Calvariae!

℟. Miserere nostri.

℣. Ab omni malo corporis et animi

℟. Libera nos, domine.

℣. Propter gravem quam portasti crucem

℟. Libera nos, domine.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut ecclesiam sanctam regere et conservare velis,

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei, qui tollis etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nostri.

Oremus.

Recordare, Jesu pie, quod sum caussa tuae viae, ne me perdas illa die.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO III.

Jesus cadit sub cruce.

Cadit ille, qui omnia portat verbo virtutis suae. Cadit, quia peccatorum nostrorum pondere opprimitur. O Jesu, me stantem sustine, me cadentem erige.

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Jesu Christe, qui es sub cruce lapsus!

℟. Miserere nostri.

℣. Ab omni peccato

℟. Libera nos, domine.

℣. Qui nostra caussa cecidisti,

℟. Libera nos, domine.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiae ordines in tua sancta religione conservare velis,

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nostri.

Oremus.

Serva et libera nos omnibus peccatis, salus mundi, qui cruce tua et sanguine nos redemisti. Auxiliare nobis, te deprecamur, domine!

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO IV.

Jesus obvius fit matri.

Salus mea, crucem portans, obviam videt sanctissimam matrem. Ecce, sanctissimus filius sub foedissima cruce! Mater sanctissima crudelissimo excruciata dolore! Quantae filii perpessiones! Quanta matris misericordia! O Jesu, o Maria! vobis pari dolore sociari velim.

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu Christe, qui crucem portans dilectae matri obviam venisti,

℟. Miserere nostri.

℣. Ab ira tua
℟. Libera nos, domine.
℣. Per misericordiam moestissimae matris tuae
℟. Libera nos, domine.
℣. Peccatores
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Ut inimicos sanctae ecclesiae profligare velis,
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,
℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Parce nobis, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Audi nos, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Miserere nostri.

Oremus.

O virgo doloribus afflicta! Quando corpus morietur, fac, ut animae donetur paradisi gloria.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus portat crucem post Jesum.

Metuunt Judaei, ne Jesus omnibus viribus destitutus jam nunc moriatur. Jesus portat crucem pro

me. Quanta caritas! Visne venire ad Jesum, anima mea? Tolle crucem et sequerc eum.

O Jesu, sequar te crucem portans post te!

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu Christe, qui Simoni Cyrenaeo crucem tuam portandam tradidisti,

℟. Miserere nostri.

℣. A subita necopinata morte

℟. Libera nos, domine.

℣. Per grave quod portasti onus crucis

℟. Libera nos, domine.

℣. Peccatares

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam dare velis,

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nostri.

Oremus.

Fac, o Jesu, ut absit a me gloriari in aliqua re, nisi in cruce tua; fac, ut ejus ope mihi mundus crucifixus sit et ego mundo.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO VI.

Veronica Christo sudarium porrigit.

Non solum sudarium porrigam domino, sed totum me ipsum, corpus et animum repraesentabo. O Jesu, imprime imaginem tuam toti animo meo, id quod signum esto, me tuum, te meum esse.

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu Christe, qui a Veronica sudarium accepisti,

℟. Miserere nostri.

℣. Ab insidiis satanae

℟. Libera nos, domine.

℣. Per crucem et perpessiones tuas

℟. Libera nos, domine.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri velis,

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nostri.

Oremus.

Sancta mater, istud agas: crucifixi fige plagas cordi meo valide.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO VII.

Jesus iterum cadit.

Ad portam urbis Hierosolymae Jesus iterum sub cruce cadit. Ah! quis cadit? Fortissimus, innocentissimus! Quare? A planta pedis usque ad verticem capitis non est in corpore ejus sanitas. O Jesu, ab iterum peccando custodi me!

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu Christe, qui iterum sub crucis mole cecidisti,

℟. Miserere nostri.

℣. Ab iterum peccando

℟. Libera nos, Jesu.

℣. Per secundum lapsum tuum

℟. Libera nos, Jesu.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut nosmet ipsos in tuo sancto obsequio confirmare et conservare velis,

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nostri.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui aliquando: «remissa tibi sunt peccata, dixisti, jam noli peccare,» praebe mihi gratiam detestandi ex animo peccata.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO VIII.

Jesu occurrunt lacrimantes mulieres.

Pars populi et piae mulieres Jesu dolores deplorant. Quam gratus sum Christo ipsius dolores pie dolens! Quot et quanta mihi comparare possum

merita! Patere cum eo! Deplora eum! O Jesu tuos aeque dolores ac mea deploro peccata.

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Jesu Christe, mulierum misericordia in via cru cis deplorate!

℟. Miserere uostri.

℣. Ab ira et odio et omni mala voluntate

℟. Libera nos, domine.

℣. Intercessione mulierum flentium

℟. Libera nos, domine.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nostri.

Oremus.

Sancta Maria, fac, ut portem Christi mortem, crucis ejus fac me consortem et recolentem plagas.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO IX.

Jesus tertio labitur.

Sub radices montis Golgothae Jesus ascendens tertio labitur. Eheu! cadit qui est fortitudo nostra. Cadit, quia posuit dominus in eo communem omnium iniquitatem. Stans vide, ne cadas! O Jesu, gratia tua semper in me maneat.

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu Christe, qui crucem ferens tertio lapsus es,

℟. Miserere nostri.

℣. A migranda voluntate tua

℟. Libera nos, domine.

℣. Per tertium casum tuum

℟. Libera nos, domine.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut omnibus benefactoribus sempiterna bona tribuas,

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.
℟. Audi nos, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Miserere nostri.

Oremus.

Donum te rogo, domine Jesu Christe, usque ad finem perseverandi, ut a te coroner, qui es ipse merces nostra admodum magna.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO X.

Jesus vestibus nudatur.

Nudatur qui omnia vestit. Exinanitur qui omnia implet. Renovantur plagae ex flagellis acceptae, exuitur castissimus. Quae ignominia! O Jesu, ne perdam vestem gratiae! Da aliquando pallium gloriae!

℣. Sancta trinitas, unice Deus!
℟. Miserere nostri.
℣. Domine Jesu Christe, ob nostram culpam vestibus spoliate!
℟. Miserere nostri.
℣. A spiritu impuritatis et lasciviae
℟. Libera nos, domine.
℣. Ob vestium exutarum ignominiam

℟. Libera nos, domine.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, benefactorum ab aeterna damnatione eripias,

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nobis.

Oremus.

Da mihi, domine Jesu Christe, animi castitatem et puritatem; exstinctoque in me libidinum igni fac me aliquando in sanctorum congregatione laetantem.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Proh dolor! Jesus extenditur super crucem, perforantur sanctissimae manus et pedes, cruentantur divina membra. Ah Jesu! Tecum affixus sim cruci!

℣. Sancta trinitas, unice Deus!
℟. Miserere nostri.
℣. Domine Jesu Christe, foede clavis cruci affixe!
℟. Miserere nostri.
℣. A fulgure et tempestate
℟. Libera nos, Jesu.
℣. Per cruentissimum illud in cruce supplicium
℟. Libera nos, Jesu.
℣. Peccatores
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,
℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Parce nobis, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Audi nos, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Miserere nostri.

Oremus.

Affige tecum cruci, Jesu Christe, meam contumaciam, ut, mea prorsus exstincta superbia, tibi penitus me tradam.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO XII.

Jesus in cruce pendens moritur.

Amor meus crucifixus moritur. O immane spectaculum! Agnus divinus fit hostia peccatorum, quae nos commisimus, sanguinem fundit, spiritum emittit. Vere merito sol obscuratur, prodigia apparent. O Jesu, sit mors tua mihi vitae!

℣. Sancta trinitas, unice Deus!
℟. Miserere nostri.
℣. Domine Jesu Christe, pro nobis crucifixe!
℟. Miserere nostri.
℣. A morte perpetua
℟. Libera nos, Jesu.
℣. Per crucem et mortem tuam
℟. Libera nos, Jesu.
℣. Peccatores
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Ut domui nostrae et patriae benedicas,
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,
℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Parce nobis, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Audi nos, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Miserere nostri.

Oremus.

Domine Jesu Christe, per amarissimam illam quam sustinuisti in cruce mortem, praesertim per illam horam, quando sacra anima tua e sanctissimo corpore egressa est, te obsecro, ut animae meae peccatis oneratae miserearis, praecipue hora mortis, eamque laetam facias participem beati aevi in coelesti patria: qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO XIII.

Corpus Christi de cruce deponitur.

Mansit in cruce Christus, donec omnia essent perfecta et absoluta. Nunc demum descendit. Mane cum crucifixo in aeternum; qui perseveraverit, is salvus erit. Sancta mater Maria, immani afflicta dolore, suscipit supra gremium corpus carissimi filii.

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu Christe, quem de cruce sumtum purissima mater amplexatur,

℟. Miserere nostri.

℣. A fame, peste et bello

℟. Libera nos, Jesu.

℣. Per demissionem de cruce
℟. Libera nos, Jesu.
℣. Peccatores
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Ut cum tua gratia vivamus et moriamur,
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,
℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Parce nobis, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Audi nos, domine.
℣. Agnus Dei etc.
℟. Miserere nostri.

Oremus.

Eja Mater, fons amoris! Me sentientem tui doloris vim facias, ut Christo et tibi placeam. Fac ut ardeat meus animus ad amandum Christum Deum pro me mortuum.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

STATIO XIV.

Christi corpus in sepulcro ponitur.

Sepulcrum ejus plenum gloriae. Namque praestantissimum in eo jacet corpus. Cum gloria inde

resurrexit. Oh moriar cum Christo, resurgam cum ipso, vivam cum ipso in aeternum!

℣. Sancta trinitas, unice Deus!

℟. Miserere nostri.

℣. Domine Jesu Christe, qui in sepulcro quievisti,

℟. Miserere nostri.

℣. Ab omni culpa et poena

℟. Libera nos, Jesu.

℣. Per mortem et sepulcrum tuum

℟. Libera nos, Jesu.

℣. Peccatores

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Ut omnibus christianis defunctis requiem aeternam concedas,

℟. Te rogamns, audi nos.

℣. Adoramus te, domine, et benedicimus tibi,

℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Parce nobis, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Audi nos, domine.

℣. Agnus Dei etc.

℟. Miserere nostri.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qua ės clementia concede, ut ad resurrectionis gloriam perducamur: qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula.

Defunctorum animae misericordia Dei requiescant cum pace.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

IN FINE DICES:

Benignissime Jesu! Offero tibi hoc pium crucis exercitium ad recolendam memoriam bonitatis ac mortis tuae, ad colendos justo honore omnes dolores tuos, ad petendam mihi defunctisque veniam peccatorum. O Jesu! Noli unquam permittere, ut quisquam nostrum, qui tam caro pretio redemti simus, in aeternum pereat. Ne reddatur irritum pretium sanguinis tui! Tibi aeterna laus et gloria cum patre et sancto spiritu.

℟. Amen.

CARMEN DE PERPESSIONIBUS DOMINI AGENS.

Amara Christi passio
Me flere plus quam dicere
Invitat, attamen piis
Miscebo carmen lacrimis.

Sed quo canam praeconio
Amoris impetum tui,
Quo, Christe, temet in cibum
Nobis dedisti et poculum?

Hinc mortis ad spectaculum
Totus cruore perpluis

Membrisque plangis omnibus,
O foritudo Martyrum!

Mox te satelles undique
Circumdat, arctat vinculis:
Sed te ligarat arctius
Prius tuorum charitas.

Quot probra! quas injurias
Nox vidit una militum!
Fit ludus et spectaculum
Rex Israël et caelitum.

Dum, Christe, tollis lumina,
Petrum negantem respicis,
Sed lacrimantem praevenis,
Tuo lavandum sanguine.

Nunc mutus ante judicem,
Judex supremus omnium,
Solo satis se clamitat
Innoxium silentio.

Quin candor ille vestium,
Quo sprevit Herodes Deum,
Decebat agnum, candida
Qui pascit inter lilia.

Tu, Christe! flagris caederis,
Ego miser deliqueram;
Rosas ego dum colligo,
Tu sentibus compungeris.

Sed ad columnam frangitur
Haec mea contumacia,
Et hac corona cingitur
Mortalium superbia.

Inter latrones ceu latro
Coeli decus pulcherrimum;
Affigitur clavis cruci
Turpissimum ludíbrium.

O arbitras mundi manus
Pedesque, qui ventos super
Vehi sueverunt, heu mea
Vos impulere crimina!

Recede sol et lugubri
Terras amictu contege,
Dehisce tellus, scindite
Vos, saxa: Christus occidit.

Christe, occidis, nos nascimur
Tui doloris filii,
O vita nostri pectoris
Orisque nostri spiritus!

Hoc deerat unum, mortui
Ut vulnerato pectore
Pateret ad vitam via
Aperta amoris regia.

Sed jam manent te brachia
Carae parentis, quae tibi
Unguenta pro plagis dabit,
Et lacrimas pro sanguine.

Tandem sepulcro conderis,
Defuncte Christe, saxeo;
Meum tibi consternerem,
Sed heic jaceres durius.

Cur hunc capescis exitum,
O incapax exordii!
Nostram nisi vis proprio
Signare mortem funere?

Jesu! tibi sit gloria
Pro poena et ignominia,
Quas innocens pro noxiis
Non horruisti perpeti.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem,

℟. Mortem autem crucis.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui de coelis ad terram de sinu patris descendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut die judicii ad dexteram tuam audire mereamur: «Venite beati,» qui vivis et regnas in saecula.

℟. Amen.

IN CRUCE SALUS!

Index.

Pars prima.

Pars secunda.

Pag.

Pars tertia.

Pars quarta.

N. B. *Quas preces, nullo re mutata, in nostrum librum transcripsimus, eas hoc signo † notavimus.*

Lutterbeck, J. A. B., die neutestamentlichen Lehrbegriffe oder Untersuchungen über das Zeitalter der Religionswende, die Vorstufen des Christenthums und die erste Gestaltung desselben. Ein Handbuch für älteste Dogmengeschichte und systematische Exegese des neuen Testamentes.

1r Band: Die vorchristliche Entwickelung. gr. 8. geh. 1 Rthlr. 25 Sgr. od. 3 fl. 15 kr.

2r Band: Die nachchristliche Entwickelung. gr. 8. geh. 1 Rthlr. 15 Sgr. od. 2 fl. 36 kr.

Staudenmaier, Dr. F. A., der Geist des Christenthums. Dargestellt in den heil. Zeiten, in den heil. Handlungen und in der heil. Kunst. Mit einer Zugabe von Gebeten. 2 Thle. Vierte, umgearbeitete, verb. und verm. Aufl. Mit 1 Stahlst. 8. geh. 1 Rthlr. 6 Ngr. od. 2 fl.

Siegl, J., Gott ist die Liebe. Ein vollständiges Gebet- und Erbauungsbuch für gebildete katholische Christen. 4te verb. Auflage. Mit 1 Stahlst. gr. 12. Ausgabe auf weissem Druckpapier 18 Ngr. od. 1 fl. Auf dickem Postpapier 24 Ngr. od. 1 fl. 24 kr. Letztere Ausgabe fein gebunden 1 Rthlr. 18 Ngr. od. 2 fl. 48 kr.

Testamentum, novum, graece et latine exhibens textum graecum ad exemplar complutense expressum cum vulgata interpretatione latina editionis Clementis VIII. Edidit et loca parallela uberiora selectamque lectionis varietatem subministravit. P. A. Gratz. Editio nova. 2 Tomi. 8. maj.
1 Rthlr. 15 Ngr. od. 2 fl. 42 kr.





